

Wg 40.

72

DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA  
DE  
**LEGIBVS**  
IN  
**FAVOREM COMMERCI LATIS**  
PRAESERTIM  
IN CONCVRSV CREDITORVM

---

QVAM  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE  
PRO  
DOCTORALIBVS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS  
RITE OPTINENDIS.  
D. XVI FEBR. MDCCXCII

PUBLICE DEFENDET  
**THEODORVS HASCHE**  
HAMBURGENSIS.

---

GOETTINGAE  
TYPIS BARMEIERIANIS.



INCLITAE LIBERAE

S. R. L.

REIPVBЛИCAE HAMBVRGENSIS

SENATVI

SPLENDIDISSIMO ET AMPLISSIMO

VIRIS

PERILLVSTRIEV, MAGNIFICIS ATQUE  
EXCELLENTISSIMIS

PATRIAЕ PATRIBVS

H V N C

QVALEM CVNQVE LIBELLVM

PIA DEVOTA QVE MENTE

O F F E R T

T A N T O R V M N O M I N V M

C V L T O R O B S E R V A N T I S S I M V S

A V C T O R.



Cum ius ex iniuria lex facere possit, bonum cur eadem facere  
non possit ex malo?

Cicero de Legib.

## PROLEGOMENA.

Lex in fauorem alicuius rei lata, normam generalem, propriam  
individuae illius rei salutem parum spectantem supponit; leges e  
contrario, circa objectum quoddam, de quo antea nulla omnino  
vniuersalis norma scripta erat, haud *in fauorem* ipsius latae sunt,  
quamvis vel optime commodum istius rei promoueant. Causa enim  
harum legum erat, quod in omnibus obiectis iuris dispositiones le  
gales necessariae sunt; illarum vero, quod iis obiecto, ad quod per  
tinent, melius prospicitur ac regula generali. Licet igitur Romani  
praesertim militiae fauerent: constitutiones tamen Romanae, inter  
num illius statum spectantes, v. g. dispositiones circa disciplinam mi  
litarem, etc. in militiae fauorem haud magis, ac eae, quibus forma  
testamentis est praescripta, in testamontorum fauorem conditae dici  
queunt. Leges contra, quibus militibus priuilegia circa testamento  
rum solemnia tributa sunt, in militiae fauorem latas esse, dubitari  
nequit.

Eodem modo res in mercionii se habet. Leges enim, circa  
res eas, quae in mercatura vnice adsunt, haud solummodo in eius

A

fauorem

fauorem latae sunt. Nam vniuersalibus iuris praescriptis in hac materia minime repugnant, cum res haud exflaret; quandoquidem nullius entis, nulla sunt praedicata a). Inter haec commercii particula ria autem pono praeferunt:

1) dispositiones circa ius mercimonium exercendi.

2) Leges circa instituta ad commercium necessaria v. g. circa Banchos.

3) Quasdam partes iuris nautici et maritimi; commercia enim instituerunt nauigationem, quare huic quoque iura singula ria scripta sunt.

Norma generalis, a qua *leges, in fauorem commercii latae*, discre pant, ius commune est; dispositiones ipsius vero multis negotiis mercatoriorum haud ita adaptatae sunt, quam aliis. Constat vero ius commune Germaniae b):

I. Ex iuribus receptis, nempe

a) iure Romano et

b) iure Canonico.

II. Ex iure Germanico genuino, quod per vniuersum imperium vim legis habet, nimirum:

a) Constitutionibus imperii

b) iure consuetudinario.

Quibus

a) Quod tamen MARQVAR'D de iure Mercatorum Lib. I. c. 2. contendere videtur, cum generale ius mercatorum definit: ius singulare contra regulam iuris communis indultum.

b) v. SELCHOW *Geschichte der in Deutschland geltenden Rechte* §. 278.

Quibus praemissis patet, legem in commercii fauorem latam esse dispositionem contra ius commune, qua commercii commoda maxime promouere, vnicse spectatur.

Ex partibus istis iuris, in quibus leges in favorem commercii ocurrunt, nonnullas mihi solummodo exempli causa afferre liceat. Refero hoc :

I. Ex iure personarum quaestione: quatenus mulier mercatrix beneficiis quae iura feminis tribuerunt, vti valeat.

II. Ex iuribus in re;

1) quoad iura dominii: legem, quae rei vindicationem contra tertium possessorem instituere vetat.

2) quoad ius pignoris: leges hypothecarum in concursu creditorum praerogatiua constituentes.

III. Ex iuribus ad rem; praesertim ex iure circa contractus:

1) quoad mutuum: quaestionem saepissime occurrentem, quatenus quod ius commune de usuris disponit t), nempe ne superent quindecim, in mercatura obseruari queat; — porro quoad solutionem, quid in iudicio valeat — der *Geldcurs* — si monetarum valor, eo permutatus; numque iuris communis norma: respiciendum esse ad eum monetarum valorem, qui erat tempore initi contractus, quem - der *Geldcurs* - eo tempore tamquam pretium indicabat, ad hunc extendi queat.

A 2) plures

c) Reform. Polit. ab a. 1530 tit. 26. Recessi. imperii de a. 1654  
§ 175.

- 2) plures et proprias constitutiones circa Emtionem Venditionem e. g. eas, quae tempus, quo dominium rei emtae in emtorem transeat, definiunt.
- 3) quoad contractum societatis; iura circa eas mercatorum societas, quas vocamus — *Handlingscompagnien* — quae a iure communi maxime discrepant.
- 4) quoad mandatum; praesertim iura particularia de iis negotiis, quae vocant — *Commissionsgeschäfte*.

IV. Ex processu: institutum id, quod ob processus ordinarii in nonnullis mercatorum negotiis nimis diffusam rationem, processus summarii in iis dijudicandis adhibendi sunt d); vnde originem traxere:

- a) ius cambiale.
- b) iudicia propria in rebus maritimis, in primis in Assecuratione. Propter haec praeципue ius maritimum legibus in commercii fauorem latis annumerari potest, cum modus procedendi a processu communi saepe discrepet. — Constat quidem, Romanos quoque iure quodam maritimo vsos esse; receptis scilicet legibus Rhodiis. Quatenus ergo iura recentiora ab illis discrepant, omnino leges sunt, de quibus mihi agendum erit. Attamen harum legum maritimarum, quae ad nos per venerunt, numerus nimis exiguis fuit, nec vlo igitur modo fundamentum iuris recentioris esse potuit.

c) Con-

d) CLAPROTH *summaries Processe* pag. 18. n. 7. 8.

- e) Concursus ordinationes recentiores.  
 d) probatio semiplena, quae inter mercatores ex propria scriptura libri mercatorii peti potest.  
 Exemplis hisce allatis docere sufficiat, quae nam leges imprimis ad eas in commercii fauorem latae referendae sint.

Legum istarum a iure communii exceptiones facientium fontes sunt:

- 1) ipsum ius romanum. — Vid. tit. C. de commerc. et mercatura. — Tit. D. de actione insitatoria et exercitoria; quippe quae actiones a praetore introductae sunt, contra ius ciuile, quo nemo ex contractu alterius conueniri poterat e).
- 2) Leges imperii. — Receslus nouissimus §. 107., qui ius cambiale in commercii fauorem recepit f). I. P. O. art. 9. §. 12. et Cap. Caef. art. 8. §. 7.; quibus status imperii, in fluuiis, regiones ipsorum permanentibus, et vedigalia instituere, et aedes exstruere prohibentur, ne nauigatio impediatur g).
- 3) Fontes denique limpidissimi iura sunt particularia, cum regionum vniuersarum commercio vigentium, tum imprimis emporiorum. Quae vel scripta sunt, vel consuetudine introducta, vulgo: — *Usance* — dicta.

A 3

Differ-

- e) Haec verba sunt I. H. BÖHMERI introducti in ius D. ad t. de exercit. act. §. 1.  
 f) Des Heil. Röm. Reichs Wechselord. vid. in SIEGEL Corpus Iur. camialis p. 148.  
 g) Cf. Perill. PÜTTER instit. iur. publ. Lib. VIII. c. I. § 336.

Dissertationis huiusce themate satis definito, nunc et de scopo, in elaboranda ea mihi proposito erit dicendum. Exquirere nimirum conabor: Num omnino et quatenus iuris communis circa res in mercatura obuenientes praecpta cum commercii salute congruant? Item, num quaedam, et quaenam iura particularia Germaniae, ab iis iuris communis legibus, quae commercio haud sunt salutares, in huius fauorem exceptiones faciant? Hic igitur, vt iam supra dictum, minime est locus exponendi, quaenam circa commercii res particularissimas leges existent, de quibus ius commune nullas normas generales habet. Ita enim tractatus *de Mercatura* melius inscriberetur. Omnia tamen iura in commercii fauorem constituta tractare, dissertationis limites immane quantum! excederet, quidquod ea in librum maximi voluminis excresceret. Quare et huic libello et meis viribus minus aduentantem laborem suscepit, et solum locum *de legibus in creditorum concursu commercii commodum spectantibus* tractandum elegi. De reliquis propositi thematis partibus olim agam, cum experientia suffulta peritia me tali operi aptiore reddiderit atque viri docti de hoc specimine ita iudicauerint, vt spem alere possim, me laborem haud inanem esse suscepturnum.

Neque tamen specimen hoc thematis mei de concursu partein, quam in hoc libello exhibeo, omnem absoluere potest. Cum enim secundum propositum omnia praeципue particularia Germaniae iura mihi recensenda sint, vna tamen haec materia dissertationis limites excederet, quaedam tantummodo iura perlustrabo. Inprimis vero exquisitioni meae proposita sunt patriae dilectissimae iura, Hamburgenia nimirum; deinde

deinde quoque nonnulla de iure Lubecensi, Francofurtensi, Saxonico, quoque iure Prussico afferam; quibus praefantem legislatorum in rebus mercatoriis prudentiam comprobabo. Ratio, qua permotus hanc de concursu materiam elegi, fuit, quod haec iuris mercatorii pars mihi nondum satis tractata videretur; cum de reliquis ipsius partibus plurimi, iidemque praefantissimi autores tractatus conscriperint. Praesertim vero materiae grauitas me impulit. Nam non solum eius cognitio legislatoriam mercatoriam prudentiam optime probat; verum maxime quoque interest Icti inter mercatores viventis, praeter suae ciuitatis iura, etiam particularia haec aliarum regionum iura cognita habere; quo mercatori, ipsum consulenti, quomodo in fallimento extero, optime et tutissime solutionem acquirat, respondere valeat.

Omnia de prudentia legislatoria in his praesertim sese probante supra dicta in eo versantur, vt, cum bancorruptiones fidei publicae periculosi quasi scopuli sint, summa adhibeatur cura, vt fides haec in tantis conturbationibus sustentetur. Conueniunt vero leges mercaturae, si:

- 1) debitori praे creditoribus, ideoque in damnum eorum, haud fauent;
  - 2) et omnibus creditoribus, quantum fieri potest, aliquam saltim solutionis partem adsignant;
- quod utrumque momentum in libello meo probare studui.

## C A P . I.

*De concursum impediendi remediis.*

## §. I.

*De moratorio.*

Quodsi debitor omnibus creditoribus satisfacere parum pollere sibi videtur, saepissime, antequam ad ultimum illud remedium — bona sua creditoribus, ipsum urgentibus, cedendi — confugiat, praeflrandae solutionis dilatione potiri tentat; spem praetendens, fore, ut termino certo posito lapsas res restituere sibi contingat. Ius commune debitori talia remedia, spatium temporis acquirendi, offert, in quo nulli creditorum quidquam ab eo petere licet. Beneficium hocce debitoris petitioni tribuitur

- 1) principis indulgentia — et tunc moratorium nuncupant.
- 2) creditorum concessione — si maiora ei fauent vota.

Altera haec indultorum species in iure ciuili L. vlt. C. *qui bon. ced. post.* fundata est. Ut hanc creditorum concessionem obtineat, debitor obaeratus ita versari solet: a iudice petit, vt creditores per proclama publicum conuocet, eo quidem consilio, vt cum iis de concedenda soluendi dilatione tractare possit. In hac conuentione, vulgo *accordium dicta*, secundum quasdam leges particulares adhuc additum est, vt, quamvis maior creditorum pars repugnet, iudex tamen post

cau-

causae cognitionem ex iustis rationibus sua auctoritate, petiti spatii concessionem iubere possit a). Moratoria stricte sic dicta b) princeps foliumento ex potestate superiori, et nullo creditore consentiente, impertit. Ord. Pol. Imp. de anno 1548 t. von verdorbenen Kauyleuten et Ord. Pol. ab anno 1577 t. 23. §. vlt. moratoria haec iuris communis in Germania fecerunt. Quae ut immediatis imperii statibus impertiantur, reseruatum imperatoris est; mediatis vero illa concedere ipsi haud licet nisi cum istius status, cui subsunt, consensu c). Cum haec priuilegia sint, constat, ipsa a principe regionis cuiusvis tantum, nullo vero inferiori magistratu impetrari posse d). Ex regula beneficium hoc infelici foliumento, simulque probo debitori concedendum est, quando scilicet probare poterit, fore ut istius beneficij ope, aliquando omnibus creditoribus solutionem paret.

### §. II.

#### *De horum beneficiorum ratione.*

Debitoris commodum priuilegiis memoratis foliumento spectari, ex superioribus constat. Quare forsitan in omnibus istis locis probanda

a) Cf. praesertim *Preussische Procesordnung*. Th. II. t. 23.

b) De hac materia cf. I. H. BÖHMER de litteris respirationis, earumque validitate et inualiditate. in exerc. ad D. Tom. V.

c) Perillust. PÜTTER Ius publ. §. 364.

d) BÖHMER I. c. cap. II. §. 2.

banda erunt, in quibus salus publica, creditori magis quam debitori prodesse, parum flagitat; in his summa ciuitatis cura esse videtur, vt bonus ciuis seruetur, vel ipso creditorum quorundam commodo neglecto. In aliis vero ciuitatibus, quae ex mercatura quaestum capiunt, vnius salus plurium hominum damno nunquam erit anteponenda, nec tune quidem si creditores vel minimo tantum afficiantur. Fides publica certe et basis et fundamentum est mercaturae; haec vero cum ipsis praesidiis, debitori concessis parum congruit. — Quod dilucidius hoc illustretur pauca de *fide mercatoria* praemittenda esse putau. Fides haecce confidentiae innititur, fore, vt iste qui promissum dedit, etiam promissis siet. Casus, quibus praincipie in commerciis fides haec spectatur, sunt:

- 1) cum creditor debitoris cambia pro numerata pecunia accipit.
  - 2) cum mercator ab extero quodam, merces litteris arcessit, illici deum acceptis mercibus solutionem praefstat, tunc exterus illi fidem dat; — vel si mercator solutionem ante acceptas merces dat, hic extero fudit.
  - 3) denique, cum mercator in eo loco quem habitat merces emit, nec tamen certis ex causis res emitas statim soluit.
- Fidei huiusce in mercatura necessitas patet, quare pauca tantum in ipsis monenda esse arbitror:
- a) nisi fides haecce cambialis existaret, quomodo quaelo, exterus solutionem caperet? Pecuniā numeratam transmittere et

et molestum et sumptuosum quoddam, quidquod saepissime  
nullo modo fieri potest.

- b) si fides haec decesset, ipsi mercatori semper ad emendas illes merces cum numerata pecunia iter esset faciendum.
- c) deficiente illa fide publica mercator saepe vel lucrosissimam speculationem parum suscipere posset, quod numerato pecunia ad emendas merces careret. Hoec enim et locupletissimo alias mercatori facilime accideret, siveque paululum tantum negotiando lucraturus esset.

Plura adhuc addere exempla facillimum foret, nisi res per se pateret.

Ad conseruandam fidem istam, nullum certius exstat remedium, quam creditori promptam solutionem praestare. Quam si debitor praefliterit, vir firmus habetur; si leges creditoris hanc conciliant, et vniuersa ciuitas, et singulus quilibet ciuis fide publica gloriantur. At quomodo, quaeſo, hoc fieri poterit, si creditoris timor supereſt, debitorem aliquando per moratorium a qualibet actione liberari posse! Raro porro evenit, ut debitor opes suas moratorio obtento vere restituat, praeflertim in mercatura. Quis enim isti fidem dabit, qui non solutione sed per moratorium a creditoribus anterioribus ſe defendere valet? Quodſi vero nonnulli et ipsi nihilominus fidem dederint, mox credita sua ſeuere exigent; nam ius ſaque ipsis ſicuti ſerioribus creditoribus manet, ut opes quae debitori ſunt, apprehendant. Ita qualibet re ab illo parum feliciter ſuscepta, massa bonorum diminuetur, debitor ſolutionem multo minus praeflare va-

lebit, nec concursus amplius euitari poterit. Tunc vero creditoribus pauca tantum supererunt, cum tamen, si debitor statim bonis cessisset, nec moratorium accepisset, massa fatis magna fuisset; res enim ipsius haud omnino esse potuerunt dilapsae, si ex moratorio auxilium adhuc sperabat. Ita et in optima spe, res dilapsas aliquando restituendi, talis dilatio creditoribus res est maxime periculosa, imo, quamuis spes illa semper feliciter cederet, tamen erit damnosa; per concursum enim statim declaratum creditores, quamvis nec totam pecuniae sumimam, tamen certam suam partem accipiunt, pecuniae usu, amissam facile lucraturi essent, quidquod plura certe, quam debitor vel usuris ipsis restituere valuerit. Quae omnia tam in moratoriis per indulgentiam principis datis, quam in dilatione, votis creditorum maioribus debitori concessa, accidunt; vota haec, omnium dissentientium sunt tyranni; quae facilme vero aderunt, quando hypothecarii debitori fauent. Cum enim hi in solutione praferantur chirographariis, massa, ut ipsis satisfiat, sufficiet, quinimo usuriae istorum continuantur, nec illis quidquam detimenti pertimescendum est. Ex antiquissimis iam inde temporibus periculoosa ista moratoria in emporiis maritimis inusitata fuere, testante MARQUARDO a), qui hoc de Lubeca nominatim memorat. De Hamburgo hoc quoque affirmari potest, nam *Nova Fallitorum Ordinatio de anno 1753 b)* art. 80. verbis expressis iubet: „debitori nullo modo

„pro

a) *De Iure mercatorum Lib. 1. cap. 14. n. 39.*

b) *Der Stadt Hamburg neue Falliten-Ordnung Hamb. 1764.*

„proclama ad conuocandos creditores, petere licitum esse debere,  
 „quibus vel dilationem soluendi, vel continuatam bonorum possessio-  
 „nem creditorum incommoda spectantem acquirere studet“ simulque  
 debitori praecepit, „vt bonis cedat.“ Quibus tamen haud affirmo,  
 magistratum omnino iuribus suis, in moratoriis tribuendis, renun-  
 ciasset; hoc rautum probare velim, moratoria haud amplius adhiberi.  
 Namque anno isto, mercaturae perniciocissimo 1763, quo plurimorum  
 mercatorum folummodo intererat, ad componendas res solutionis di-  
 lationem capere; Hamburgi tamen, vbi commercium ex conturba-  
 tione ista maximum damnum sentiebat, nemo mercatorum morato-  
 rium petiit, sed quilibet bonis cedebat, et creditores in iis acquiescere  
 debebant, dummodo in antiquum statum debitor restitutus, id,  
 quod a solutione restabat cuique tribuere posset *c.*). Supra memóra-  
 torum loco, Hamburgi tamen aliud moris est, qno debitor a qualibet  
 creditorum petitione liberari potest, nec tamen bonis cedere co-  
 gitur — *accordium* scilicet priuatum, vulgo „*Accord unter der Hand*“  
 dictum. Haec agendi ratio in statu insoluentiae, nullam certe noxam  
 mercaturae assert; quod ex sequentibus patebit.

### §. III.

#### *De Accordio priuato Hamburgi vfitato.*

Simulac Hamburgi insoluentiam suam intelligit obaeratus, ad  
 euitandum publicum concursum credirores conuocat, quo cum ipsis

B 3

vel

*c)* quicunque de hac re magis edoceri cupit, audeat MAYS *Handlungs-*  
*Wissenschaft* Th. II. p. 434.

vel de dilatione vel de remissione agat. Ipsis tunc, infeliciem bonorum suorum statum, causamque insoluentiae proponit et quantum soluere possit, denunciat; in his acquiescere creditores obsecrat, ne alioquin ad beneficium cessionis bonorum sibi configendum sit. Tamen creditorum convocatione a debitore suscepta, quam ipsum concilium eorum priuata res est. Creditores quomodo communiter in tali causa se gerant, haud facile dicendum, cum hoc nulla lege ciuili inititur, arbitriatum est. Praxis communis vero sic se habet: nisi creditores statim propositionem abiiciendam esse iudicauerint, duos e medio eligunt commissarios, ut ii res accurati exquirant, curamque bonorum interea suscipiant. Hi tunc libros mercatorios debitoris examinant, aliisque percontationibus verum rei statum exquirant, eundemque in secundo creditorum consensu referunt. Nunc ex arbitrio cuiuslibet pendet, *accordium* vtrum admittendum sit, nec ne; si modo vel unicus dissentiret, iste iam debitorem, publicum concursum movere, cogere posset a); idemque hoc, quod nulla vota maiora locum habere possunt, istam tractandi rationem ab omni noxa vindicat; quare et omnia §. antecedente memorata, hic evanescunt. Quodsi quis putat, fore, ut ex massa in concursu publico plus sit redundaturum, assensum suum tantum denegare potest, et res haud procedit. Alioquin vero quilibet liberrimus rerum suarum existit moderator, debitorique benigne remissionem concedere valet. Rationes quibus creditores commouentur ad eiusmodi *accordium* debitori concedendum, praeter misericordiam cum debitore concursum publicum timente, sequentes esse pos-

a) Fallit. Ordin. artic. L.

possunt, quando scilicet creditores probitatem debitoris perspectam habent, ipsumque nulla ad massam pertinentia occultasse, certissime sciunt: ut eo sumptibus publici concursum supersedeant. Causis hisce et hoc fortasse accedere potest, ut amicus vel propinquus quidam, debitoris v. g. vxor, eo tempore, quo adhuc beneficio illata sua ex insoluentis mariti massa recipiendi, fruitur, (vid. cap. seq.) summam certam ad augendam massam ea lege creditoribus offerant, ut ne concursum moueant. Cum tamen difficillimum maneat, tot capita conciliare; saepissime *accordii* periculum parum feliciter procedit.

Modus procedendi enarratus, certe facilis esse atque sine ullis difficultatibus perfici posse videtur, attamen in ipso grauiora quedam tam ex debitoris, quam ex creditorum parte, sunt consideranda.

- 1) Quomodo propositiones, simulac remissio spectatur, fermentur, quo ab ipsis faustus conditionis euentus exspectari possit? — Esi in rebus his priuatis nulla legalis norma adsit, tamen ordo ille, quo creditores secundum Ordinationem legalem Fallitorum soluuntur, seruandus erit; quodsi enim quis praeuidet, se si in concursu publico plus accepturum esse, priuato *accordio* parum assentiet.
- 2) Quomodo debitor se gerat dum de *accordio* tractatur — numquaque negotia sua continuare possit? — Res ipsa hic docet, debitoris esse, ut se si in omnibus ad normam a creditoribus praescriptam, gerat.

3) Quid

- 3) Quid agendum sit ratione eorum cambiorum, quae vulgo  
 -- laufende Wechsel - vocantur, cum quorum possessoribus  
 adhuc latentibus, de accordio parum tractari poterat? —  
 Simulac solutionis dies aderit, iique cambia sua monstrant,  
*accordium* propositum illis notificandum, solutioque denegan-  
 da est. — Tamen timendum erit
- 4) ne forte hi iure cambiali vtantur, et in personam, bonaque  
 debitoris arrestum imponant, quo reliquis creditoribus in con-  
 cursu imminentे p̄aeferantur.

Sequentes hic obseruandae erunt cautelae: Et debitor et credi-  
 torum commissarii ad explorandam cambialium creditorum voluntatem  
 attendant. Quodsi enim rerum statu, *accordioque* ipsis propositis,  
 vel nullam vel ancipitem respcionem dant, vel si alia adsunt ex  
 quibus animorum ipsorum intentio perspici posſit, hoc vnum su-  
 perest, vt debitor statim publice concursum declaret, et supplices  
 litteras pro consequendo bonorum cessionis beneficio magistratus con-  
 ventui offerat. Vel si forte tempus aderit, quo magistratus nullam  
 haberet sessionem, periculum vero in mora foret, declaratio interea  
 apud Dn Consulem fieri potest; tunc arrestum nullo modo imponi pot-  
 est. Quod si rebus sic stantibus vero debitor insolentiam suam publice  
 declarare adhuc negauerit, creditorum commissariorum erit officium, a  
 iudice arrestum vniuersale impetrare. Haud inficias ibo fieri posse,  
 vt creditor, si callide versetur, tamen debitorem opprimere posset;  
 sed hoc quoque euenire potest, si debitor sine vlla *accordii* propo-  
 fitione

sitione concussum mouere intendit, et creditorum viuis vel alter voluntatem eius persentisicit.

Talem *accordii* speciem, nullam vero aliam in republica Lube-  
censi locum habere existimo b). Etiam in ordinatione processus  
Prussica istius mentio fit c).

## CAP. II.

### *De cessione bonorum.*

#### §. IV.

##### *Summaria.*

Cessio bonorum beneficium quidem nominatur; attamen omnia bona creditoribus in solutionem cedere forsan nullum, et ne fleibile quidem est beneficium; et ad eam tamen semper debitor communis tam infelix, quam improbus obligatus est. Tunc demum bonorum cessio in beneficium falliti vertitur, si infelicitas ipsius agnoscitur, ideoque ipse a decoctorum poena liberatur a). Bonis cedendi mo-  
dus frequentissimus hic est; debitor iudicio *insoluentiam* suam de-  
clarat, praesidiisque contra creditores cum insectantes ab eo de  
pre-

b) MEVIVS in Iur. Lub. P. III. T. I. art. 13.

c) *Processo Ordin.* Th. 2. T. 25. §. 1. 2.

a) STRACCA de Mercatura p. 85.

precatur. Creditorum vero plurimum interest, ut concursus iusto tempore fiat; igitur a debitoris arbitrio haud simpliciter pendere poterit, quando insoluentiam suam declarare velit; alioquin enim declarationem illam diffidet posset, donec omne patrimonium consumtum, nec quidquam ad constituendam massam superesset. Simulac igitur creditores tenuerunt debitoris conditionem observant, eorum unus vel plures eam iudici denunciare possunt, qui tunc statim re cognita atque explorata, concursum, quamvis inuito debitore decernit. Quod etiam ex officio si causae adsunt sufficietes facere debet b).

Causae ad declarandum concursum sequentes esse possunt:

- 1) si debitor priuatum creditores ad *accordium* conuocat, hi vero illud iniire nolunt;
- 2) si mercatori plura cambia accepta sunt soluenda, nec tamen solutionis tempore pecuniam numeratam cogere valet;
- 3) si aufugit, nec quidquam creditoribus satisfaciendi causa paravit c); et quae sunt eiusmodi.

### §. V.

*Agenda post concursum declaratum, speciatim iure Hamburgensi.*

Declarato concursu et creditores explorantur atque conuocantur et massa constituitur; quod tamen vtrumque haud in omnibus Germani-

b) CLAPROTH *Einleitung in die summarischen Processe* pag. 420.

c) Preuß. *Proces-Ordn.* Th. 2. T. 26. §. 9. Hamburg. *Fallit.-Ordn.* art. I. Sächsische *Proces-Ordn.* T. 41.

maniae provinciis eodem modo fit. In aliis enim iudices in aliis curatores bonorum haec omnia peragunt. Leges particulares porro diuersae praecipiunt, quinam hi curatores sint, et a quo constituantur. Cum tamen haud operae pretium esset, diuersas hafce leges omnes exponere, sufficiat id tantum coimmemorasse, quod in patria mea hac de re iuris est. Continet vero Ordinatio Fallit. de anno 1753 hanc de iis normam.

Moto concursu magistratus statim duos commissarios ex medio suo eligit, quorum sub auctoritate concursus gerendus est a). Cura nunc manet praecipua, vt proximis statim diebus creditores qui vel a debitore ipso nominati vel in passivorum ipsius codice consignati sunt, conuocentur, vt curatores bonorum nominent b). Exterorum nomine ipsorum mandatarii veniunt, qui in primo hoc conuentu admittuntur, et si mandatum praesumptum solummodo proponere possint c). In hoc, vti in omnibus confessibus actuarius quidam publicus, huic negotio destinatus, protocollum prescribit d). Pro rerum conditione tunc vel duo vel tres curatores ex creditorum numero e) eliguntur; qui munus hocce non nisi iustis ex causis recusat possunt f). Curatores ciues urbis sint; extranei parum idonei; ipsorum tamen mandatarii admittuntur g). Curatores per maiora creditorum vota creantur; ita tamen, vt vota, sicut in omnibus eiusmodi deliberationibus, haud secundum capita, sed secundum crediti

C 2

sum-

a) Hamb. Fallit. - Ordin. art. 2.

b) art. 5.

c) art. 4 et 5.

d) art. 3.

e) art. 6.

f) art. 6.

g) art. 8.

summam numerentur. Cuius creditum minus est, quam 100 Mart. nullum omnino habet votum; cuius creditum vero summam 3000 Mart. Bco superat, duo habet vota; sic porro creditor cuius creditum 20,000 Mart. Bco superat quinque habet vota; nunquam tamen plura, licet summa multo maior sit h). Cuiuslibet crediti veritatem in primo consessu haud explorari posse, per se patet; quodsi ergo quis sciens et dolose summam crediti maiorem quam fuit, professus erat, eo punitur, vt iuribus suis in massam priuetur, quin etiam criminaliter contra eum proceditur, imprimis vero tamquam falsarius tractatur, quod creditorem sese edixerat, cum haud esset i).

Curatorum electorum atque a magistratu confirmatorum est, omnes debitoris communis creditores explorare massamque constitutere. Ad hanc vero constituendam flatim debitoris domum audeant; curant vt bonorum inuentarium per actuarium conficiatur, librique mercatorii adhibito homine rationibus conficiendis publice constituto, explorentur, quo bonorum statum sciscitetur k); quam ob rem a iudice quoque petere possunt, vt omnia ante posita arresta particularia, tollat l); res inuentas publice vendunt, atque auctiu massae exigunt m). Quibus omnibus peractis creditorum cuiilibet pecuniae summan soluunt.

Quo certius creditores omnes explorentur, si v. g. debitoris codices vel haud dant, vel de iis non satis constat, curatores a iudicio proclamatis promulgationem petere debent n). — Reliqua curatorum

mu-

h) art. 4.

l) art. 10.

i) art.

m) art. 17. 17.

k) art. 9. 17.

n) art. 18.

munera, vti scilicet creditorum liquidatatem explorent, ordinemque ipsorum constituant, eo pendent omnia, vtrum *accordium* admittatur, an res formali concursus processu ad finem perducatur; qua de re infra fusius erit dicendum. Curatorum praeterea est, post singulos tres menses creditorum concilium habere, ipsisque de rebus gestis omnibus rationem reddere <sup>o)</sup>. Curatoribus ex more Ictus quidam tamquam aduocatus massa additur, quem de iure consulere possunt; quod tamen nulla lege praescriptum, sed creditorum arbitrio permisum est.

---

### Cap. III.

#### *De constitutione massa.*

##### SECT. I.

###### *De obligatione vxoris ad aes alienum mariti soluendum.*

---

##### §. VI.

###### *Praerogativa dotis secundum ius commune.*

Ius romanum vxorem ab omni obligatione pro debitis mariti liberat; quidquod eandem simul utilissimis priuilegiis ratione dotis et omnium ad illam pertinentium bonorum ita cumulat, ut secundum illa, ex massa concursus mariti omnia integra accipere possit.

C 3

Quid-

<sup>o)</sup> art. 21.

Quidquid in specie adhuc superest iure vindicationis recuperat; ratione vero rerum dotalium in specie haud amplius exstantium vel fungibilium v. g. pecuniae cuius dominium statim in maritum sumulac eam cum sua miscuerit pecunia transit a), tacita vxori hypotheca in secunda creditorum classe ita constituta est, vt et omnibus hypothecariis expressis et specialibus et generalibus anterioribus, praeferatur L. 12. C. qui pot. in pignor. Verba legis huiusce generalia, haud admittunt, vt mihi videtur, in eorum partes transire, qui contendunt; vxores ratione dotis hypothecariis anterioribus non esse praeferendas b). Haud tamen insicias eo, legem istam creditoribus reliquis et dutissimam et iniustissimam esse. Causae legis, quas ipse Iustinianus imperator in eadem lege enumerat, fuerunt; *affiduae mulierum additiones, illarumque lacrymae; — at misericordia, qua dignae sunt propter obsequia maritis praefixa et propter periculum partus —* huius legis, atque tot tantorumque privilegiorum, quibus creditores maritorum ab vxoribus decipi licet, rationes erant c).

Eiusmodi igitur lex in omnibus locis aequitati repugnat, praeferunt tamen in emporiis. Vxoris opibus enim maritus saepissime, maxime diuulgatam fidem acquirit quam suis parum sibi procuratus fuisset; earum auxilio maxima negotia inire, speculationes per-

enlo-

a) GMELINS *Ordnung der Gläubiger im Gant-Proces* cap. 1. §. 5.

b) cf. de hac controversia WALCHII Introduc. in *controversias iuris ciuil. Ienae 1791. Sect. 4. cap. 3. subsect. 2. §. 14.*

c) vti egregie dicit Perill. RVNDE *Deutsches Privat-Recht* §. 606.

culosissimas fuscipere, sumtuosissime viuere, et ut breuiter dicam, locupletissimum aliena pecunia se se gerere potest, dummodo vxoris vita pecuniae administrationem ipsi reddit certissimam. Si hic mercator vir est diligens, qui prae sumtiuis opibus dignum se geret, nemo ei fidem iure negabit, sed quilibet potius negotia cum eo habere, et sine vlla dubitatione creditor ipsius fieri, operam dabit. Quod si vero idem ille fortuna aduersa vtitur, quinimo foro cedere cogitur, tunc vxor vnica est, quae omnes suas opes illatas seruat. Omnem tunc facillime consumet maslam, cum alioquin, nisi ita foret privilegiata, nassa adfuerit, ex qua omnes creditores, ex parte faltem, solutionem capere potuerint; vxoris opes, quamquam aeris alieni fideique marito habitae, causa principalis fuerint, nunc perficiunt, ut creditores mercatorii nihil omnino accipient. Nec tamen vir hicce, quo tot homines pecunia sua priuantur, improbus semper est defraudator. Nam non solum vxoris opes ipsi omnino traditae sunt, ut iis negotiando, lucrum faciat, sive et vxorem et liberos alat *d)*, sed necesse quoque est, ut mercator si quaestu aliquo potiri optat periculo pecuniam suam obiciat; qua in re bonam et aduersam fortunam plerumque casus diiudicant. Quando igitur speculations illi parum feliciter cedunt, ita, ut creditoribus ex propria pecunia solutionem praefare nequeat, nonne tunc leges ius ei tribuunt, ab infortunio liberandi vxorem? nonne eadem praecipiunt, ut ne haec, sed extranei creditores damno affiantur?

Poli-

*d)* LAVTERBACH Coll. theoret. praet. ad t. de I. dotium §. 85.

Politia ergo sine dubio erat mercatoria, quae antiquorum germanorum mercatores, urbium incolas, legem communionis bonorum coniugum ferre docebat e). Lex in commercii fauorem certe optima! Nam ita quilibet ei libenter fidem dat, quem vxoris dotibus adiutum, minime vero sua pecunia tantos conatus suscipere seit f); eaedemque etiam sunt, quae pro creditis spondent. Neque vxor hac lege vila afficitur iniuria. Ex ipsa enim societatis natura fluit, vt coniuges onera communiter ferant g); vxor opes suas marito ad ministrandas tradidit, quare et periculum, quomodo traditas administret, ferat necesse est. Eadem porro bonorum communio coniugibus, cum incommodis simul et posuit commoda: vxor enim cum marito lucri particeps sit, quare vt damnum simili modo ferat, conuenit. Saepius quidem fateor, casus accidere posse, in quibus lex illa vxori erit durissima, si v. g. coniugis mercatura iam ante initum matrimonium afflicta fuerit, quibus nunc statim post initum matrimonium omnes opes perdere atque ad incitas redigi debeat. Fauor matrimonii hic omnino cum commercii fauore concurrit;

quam

e) testantur PÜTTERI Element. I. Germ. §. 262. RVNDE deut<sup>ch.</sup> Privat-Recht §. 605.

f) MEVIVS Part. III. decif. 123. de hac re sic loquitur: "Vxorem tenere, vt soluat debita mariti, in emporiis valde vtile immo et necessarium est, cum vix secura sint mercimonia, vbi vxoribus ea constant priuilegia, vt omnibus creditoribus anteferantur,"

g) Vti dicit Perill. G. L. BÖHMER in Diff. de Iurib. et Obligat. coniugum ex com. bón. §. 2. in Elect. I. civil. Tom. III.

quam ob rem quoque ciuitatum plurium leges communionis bonorum effectus circumscriptere, quas statim §§. sequentibus exponam. Quantumuis tamen communio aeris alieni coniugum fauorem commercii speciet, tamen legislator eo ipso mercaturaie in terris suis satis prospexit, si tantum immoderata vxorum priuilegia circumscriptit; vt et in pluribus Germaniae regionibus factum.

§. VII.

*De communione bonorum.*

Quo melius quorundam locorum iura particularia, ad communem bonorum pertinentia explicare possim, principia generalia praemittenda erunt. Communio vel ad quaedam tantum, vel ad omnia a coniugibus congesta bona pertinet; altera est particularis, acquaeftumque coniugalem praecipue complectitur; altera vero vniuersalis. Prima illa in mutua coniugum successione solummodo valet, nequaquam vero, si de obligatione coniugum pro debitis sermo est. Vbi enim debita sunt, quae ex bonis mariti solui nequeunt, ibi nec acquaeftus locum habet a). Omnimodae communionis bonorum effectus secundum genuina Germanorum iura tam in contracto aeris alieni onere, quam in successione apparent. Quod ad hanc attinet, superfles quilibet totius patrimonii dominus manet, vt iam erat, viuente adhuc altero, quandoquidem coniuges eiusmodi numquam pro diuiso possident. Ad aces alienum soluendum obligatio — res

a) RYNDE l. cit. §. 611.

res praecipua, quam in hoc meo qualicunque libello praesertim propositam habui eo constat, ut vtriusque bona, nunc vero unum patrimonium, pro aere alieno debeantur, quamvis hoc vel ante, vel post initum matrimonium sit contractum, atque in ea tam praesentia, quam dein acquirenda bona continentur. Communio bonorum vero statim post celebratas nuptias incipit b).

Quodsi de supra memoratis requisitis vel unicum tantum dicitur, communio bonorum haud genuina, sed anomala est c). Anomala haecce communio bonorum in plurimis Germaniae locis inuenitur, et quidem tam quoad rationem bonorum post viuis coniugis obitum, quam quoad aeris alieni obligationem d).

Memorata principia, tam in legitima, quam in paclitia bonorum communione valent; nisi leges illam pacis constituere prohibent.

#### §. VIII.

##### *De communione aeris alieni Lubecensi etc.*

Secundum ius Lubecense, igitur tam in ipsa ciuitate, quam in aliis vrbibus, quae ius illud reperunt, a) communio bonorum locum

b) I. H. BÖHMERI Diff. de com. aeris alieni inter coniuges hamburgenses §. 6. in Exec. ad ff. Tom. IV.

c) RVNDE I. c. §. 603.

d) LVDOLF Obseruat. forens. Pars 2. obs. 212. pag. 619.

e) cf. HEINECII Elementa I. germanici Tom. I. §. 244. "Ius lubecense receptum est, in plerisque vrbibus Holstiae, Megalopolis, Pom-

locum habet. Quamvis statuta verbo illo — *communio bonorum* — proprie nusquam vtantur, tamen ex omnibus definitionibus circa bona coniugum constat, communione illam omnimodam, vtrius coniugis opes pro debitis obligatas esse b). Communio bonorum vero hic non prius quam liberis procreatis constituta putatur, vxor quae liberos nondum peperit, illata sua in concursu creditorum mariti, recipit Stat. Lubec. art. 7. T. 5. P. 1. Distinctionis huiusce ratio secundum testimonium Ictorum lubecensium haec est; quod scilicet legislatores tunc demum matrimonium consummatum esse putabant c). Vxoris vero tunc esse, mariti debita simul soluere, etiam si liberi ante motum concursum mortui sint, ex eodem elicetur principio; quod scilicet liberorum mors semel constitutam bonorum communio nem haud irritam facere valeat d). Ratio adhuc grauior accedit vxorem liberorum morte haud a communione aeris alieni liberari, scilicet, quod et grauida est obaerata, art. 5. loc. cit. St. Lub., cum tamen adhuc incertum sit, an viuum in utero gerat foetus

D 2

tum

Pommeraniae etc. vid. RICCIUS zuverlässiger Entwurf von Stadtgesetzen pag. 99. sqq.

b) STEINS Gründliche Abhandlung des lübischen Rechts Th. I. §. 113. sqq.

c) MEVIVS ad I. Lubecense ad art. 5. t. V. Lib. I. GÜTSCHOW Diss. de studiis Lubecensium promouendi commercia imprimis nomothefiae auxilio. Goettinge 1788. §. 11. quem morem et in aliis terris seruari testatur G. L. BÖHMER in cit. Dissert. de I. et O. comi. ex c. b. §. II.

d) Quod GÜTSCHOW c. I. doctissime contra commentatores ad I. Lub. STEIN et MEVIVM affirmat.

tum e). Quod si vxor concursus tempore, nec pepererit infantes, nec grauida fuerit, haud tamen opes suas ab omni creditorum petitione liberatas auferre potest. Præcipiunt enim Statuta Lub. cit. loc. art. 11. "vt bona sua tuto loco deponat". Quare creditores tunc, si adhuc liberos parit, opes iure antea receptas in solutionem suam repetere valent f). Quamvis enim nunc primum communio bonorum constituantur, creditoribus tamen prioribus manet ius, quod vel ipsa bonorum cessione illis haud auferri potest, omnem, qua in concursu priuati fuerunt solutionem flagitandi, simulac debitor soluere possit; hoc vero sit, si opes vxoris in commune patrimonium transfeunt. Quodsi marito mortuo concursus mouetur, vxor sese a qualibet vltiori creditorum petitione in futuras opes liberare potest, dum intra sex menses post motum concursum aedem et opes deserit, creditoribusque relinquit. Stat. Lub. P. III. T. 1. art. 10.

Statuta reipublicae Bremensis eodem modo omnimodam bonorum communionem inter coniuges constituunt g). Effectus ipsius valde perfecti sunt; statim post celebratas nuptias incipit, et vxor tunc pro omnibus mariti debitibus, vel ante, vel post matrimonium contractis obligata

e) STEIN *Einleit. in die lüb. Rechtsgelehrsamk.* §. 75. contrarium defendit sententiam, hoc vtens argumento: "wenn die Frau schwanger ist, ist sie anzusehn, als habe sie wirklich ein Kind; das lüb. R. aber erfordert, daß sie Kinder habe — nicht daß sie diese gehabt habe".

f) MEVIVS ad art. 11. t. 5. Lib. 1. n. 45. STEIN l. c. §. 82.

g) KRAEFTINGIVS in glossis ad Ordale 86. pag. 262. Mfc.

obligata est *h*). Attamen et hic ipsi conceditur, sese post mortem mariti a creditorum petitionibus in futuras adhuc parandas opes eo liberare, ut statim funeribus mariti duciis domum relinquat, et ita omnia bona creditoribus cedat; quem morem testatur *a RHEDEN i*.

In Electoratu Brandenburgico, ius commune nullam constituit bonorum communionem *k*). Attamen, cum Nouum illud juris communis Corpus prouincialium legum atque statutorum vim haud tollat, eas tantummodo futurae correctioni submittit *l*); allegatum Corpus etiam generalia quaedam constituit principia, secundum quae bonorum communio diiudicanda est *m*). In casu dubio igitur, cum quis duplici foro subditus erit, in quorum altero communio bonorum locum habet, in altero vero non; inter coniuges nulla communio bonorum esse debet *n*). Ita quoque, si in altero viiuersali in altero vero acquaeſtus tantum communio est, vltima illius species locum habere debet *o*). Certissimum hoc est documentum, communionis bonorum in terris ifsis haud magnum esse fauorem. Leges tamen coniugibus communionem bonorum per pacta consti-

D 3

tuere

*h*) GILDEMEISTER Diff. de comm. bon. inter coniuges, maxime ex legibus Bremanis. Göttingae 1775. §. 7. 10. 23.

*i*) Diff. de successione coniug. statutaria Bremensi. Bremae 1707. §. 51.

*k*) Allgemeines Gesetzbuch für die preußischen Staaten Th. 2. t. 1. Abſchn. 5. §. 231. sqq.

*l*) ibid. Th. 1. praefat. §. III, IV.

*m*) Th. II. t. 1. Abſch. 6. Von Gemeinschaft der Güter unter Eheleuten.

*n*) ibid. §. 347.      *o*) §. 348.

tuere permittunt p). Vniuersalis bonorum communio etiam secundum iura haec, ad omnes a coniugibus collatas et per matrimonium ipsis tributas opes porrigitur q). Maritus est legitimus bonorum omnium administrator, et patrimonium hoc pro omnibus debitis et ante et post matrimonium initum contractis, obligatur r). Sapienter tamen cantum est, vt si debita, alterius coniugis opes nuptiarum tempore superauerint, alter intra duos annos post celebratas nuptias bonorum separationem petere possit s). Vxor igitur impri- mis tunc si maritus intra memoratum temporis spatium foro cedit, opes suas recuperare potest. Quod ius, cum maxime conueniat cum eo, quod Hamburgi obtinet, §. sequenti fusius explicare, animus est.

### §. IX.

#### *De communione aeris alieni inter coniuges Hamburgenses.*

Iam ab antiquissimis inde temporibus Hamburgenses affirmarent, leges juris communis, vxori ratione dotis ius praelationis tri- buentes, mercaturae maximas esse noxias, eamque ob rem communio- nem aeris alieni coniugum, receperunt. Conflituunt enim statuta de anno 1603 (quae etiam nunc vim legis habent a) Part. II. T. 5. art. 10. *Vxor bona pro debitis mariti esse obligata* — ratione le- gis addita — *ad conseruandam fidem mercatoriam, promouendaque*

com-

p) §. 54.

q) §. 363. 372.

r) §. 377. 391.

s) §. 392.

a) NETTELBLATT Thesaurus iur. prouincialis et statutarii Tom. I.  
cap. I. §. 38.

commercia; et hic quidem mos, iisdem statutis testibus, ex antiquissimis, in hac urbe seruatus est, temporibus. Eo tamen, generalis haec dispositio art. sequenti 11. restricta est: ut vxor ad soluendum aet alienum mariti, qui sponsalium tempore vel illud ei celauerit vel opes suas maiores quam vere erant, professus fuerit, haud teneatur. Lex igitur haec solummodo debita ante initum matrimonium contracta, excipit. Aequitas, quea in maximo alterius partis fauore, haud omnino in altera negligenda est, legem istam necessariam reddidit b). Quamuis enim reipublicae, mercatura maxime vigentis, intersit, ad utilitatem atque emolumentum mercaturae omnia parari, nec aliis dubitandi rationibus aures praeberti, tamen et ipsa simul salutem suam, quea in hominum frequentia maxime consistit, suslentare, adeoque nec coniugia difficiliora reddere, nec puellam diuitiem legibus vxori nimis severis de ineundo matrimonio detergere, debet c). Si enim vxori timendum est, ne breui post matrimonium initum tempore, debita omnes opes absorptura, patescant, puellarum diuitium matrimonia cum mercatoribus impediuntur, indeque mercaturae indirecta plura damna, quam directe vel optimis institutis utilitates, enascuntur. Accedit, lege supra allegata creditores nulla affici iniuria:

b) Vxorem etiam ante statutum hoc, ad soluendum aet alienum a marito ante matrimonium conflatum, obligatam fuisse, testatur KLEFFER Sammlung Hamburg. Gesetze und Verfassungen Th. IV. pag. 103.

c) de fauore matrimonii longe lateque differuit STRACCA de Mercatura, pag. 599.

ria: quo enim quaeſo iure, vxoris illata, ſua putare poſſunt, cum ma-  
rito ſolummodo fidem dederant, nec vlla ratione opes coniugis fu-  
rae ſperare potuerant. Vnde patet circumſcriptionem hanc bonorum  
communionis omnino deſendi poſſe.

Inſtitutum vero hoc Hamburgene, quod vxor ad ſoluendum  
id ſolum aēs alienū mariti, quod hic poſt nuptias celebratas conſta-  
uit, teneatur, matrimonialium et antematrimonialium creditorum  
diſcrimen procreauit <sup>d)</sup>, maximarum diſcordiarum et mater quaſi  
fuit et fons. Cum enim haecce diuifio, diſquifitiones inprimis diſſi-  
ciles, concurſu praeterlapſis multis coniugii annis moto, flagitaret, lites  
producabantur, impensaeque, quae tamen in concuſus proceſſu praec-  
cipue euitandae, immane quantum crescebant. Quibus omnibus noua  
*Fallitorum Ordinatio sapientiſſime occurrit, art. 30 praeciptions, vi*  
vxori ius, quod, ſecundum ſupra cit. P. II. T. 5, art. 11 pro an-  
tematrimonialibus debitis mariti haud teneatur, *per quinque tantum*  
*priores coniugii annos maneat; poſt hos vero omnes ſuas opes maſſae*  
*reddat, et ſic igitur diſcrimen inter creditores antematrimoniales et*  
*matrimoniales omnino tollatur.* Secundum hanc legem igitur vxor  
illata ſua ex maſſa recipit, quando ſcilicet maritus iam ante matri-  
monium obaeratus erat; atque, etiamſi matrimoniales accedant cre-  
ditores, tamen nihil apprehendere valebunt, ſi coniugium nondum  
quinque annorum ſpatium perdurauerit. Quibus vero praeterlapſis  
vxor fine vlla exceptione pro debitis et ante et poſt matrimonium  
con-

<sup>d)</sup> I. H. BÖHMER in cit. Diff. de 'e. aeris alieni inter coniug. ham-  
burg. §. 27. ſqq.

contradic̄tis obligata est, creditoresque omnes, sine supra dicto discrimine, eodem iure ad opes ipsius concurrunt. Quodsi nulla mariti opes spectantia debita ante, sed solummodo post initum matrimonium contracta erunt, vniuersae vxoris opes etiam pro his, vt antea, nulla habita ratione, quam diu matrimonium durauerit, obligatae sunt. Etsi lex haec a supra memorata maxime discrepet, in qua coniugii libertatem, cum fauore commercii coniunctum defendere haud difficile erat; tamen nec unicum verbum retractandum sed potius eandem sententiam et hic repetendam esse arbitror. Ius illud, quod nunquam pro debitis antematrimonialibus teneatur, ex altera quidem parte vxori ablatum, ex altera vero ipsi eo rursus est restitutum, vt eius opes nunc per quinque annorum spatium et pro accidentibus creditis matrimonialibus haud obligatae sint, quando scilicet maritus nuptiarum tempore obaeratus fuerat. Dum creditores matrimoniales iure priuantur, quo ante quinquennium spatium opes vxoriarum apprehendebant; hoc rursus in creditorum antematrimonialium commodum cessit, quod et ipsi post quinquenium opum vxoriarum participes fiant. Et quamvis ita lucrum, alteri tributum, alteri negetur, tamen et hic, cum de individuis parum agitur, finis vniuersalis, fidem scilicet mercatoriam eo ipso promouere, ea lege mihi omnino videtur expletus. Lex haec magis quam ante memorata forfasse ad promouendas nuptias spectat. Puella minus viro nubere cunctabitur, cuius rem familiarem parum cognitam habet, cum ei certissime persuasum esse potest, fore, vt maritus, commodum suum fatis perspectum habens, si debita ei sunt, a quibus semetipsum

E

haud

haud liberare valet, concursum ante praeterlapsum quinquennium moueat, quo moto vxor omnes suas opes incolumes seruat. Artic. 2. Fall. Ord. vxorem ab obligatione ex bonorum communione ortam alienum mariti de opibus suis futuris soluendi, liberat. Creditores nil amplius flagitare possunt, quandoquidem bona, ineunte matrimonio illata, iis cedunt.

§. X.

*Num communio bonorum per pacta dotalia tolli queat.*

Bonorum communio coniugibus tam commodum, quam molestiam adfert; haec imprimis ex obligatione aeris alieni ab altero contraicti, illud vero ex succeßione mutua, oritur. Cum vero mos iste genuinus, quo superstes totius patrimonii proprietatem accipit a), haud amplius exstat, sed frequentius per leges particulares, praedefuncti propinquai tanquam haeredes ab intestato, certam bonorum partem (saepius dimidium vniuersi patrimonii) accipere debeant; evenit interdum, ut hoc facto superstes damnum in propriis bonis sentiat. Dum scilicet coniugum alter matrimonii initio diues erat, alter vero pauca tantum, vel nihil fere habebat, nec durante matrimonio quidquam lucrabatur; tamen locuples ille coniugum nunc, propter legitimam bonorum communionem, haeredibus coniugis praedefuncti pauperis, partem aliquam ab ipso solummodo originem ducentium bonorum, cedere cogitur b). Ita certe nimis seuere actum foret,

a) Secundum paroemiam iuris: *Längft Leib, längft Gut.* HERTIVS de Paroem. iuris germ. Lib. I. paroem 68.

b) KLEFKER Samml. Hamb. Ges. Th. IV pag. 58.

foret, si leges locupletiori coniugi per pacta melius sibi prospicere interdicerent. Hanc ab caussam ergo hoc fieri posse, omnes DD concedunt, et Perillustr. G. L. BÖHMER regula posita: "Statuta communionem bonorum non praetipere, sed tantum permittere" doceat e). Cum vero emporia legem communionis bonorum in commercii fauorem tulerint, communioque aeris alieni igitur summus scopus maneat; dubitari potest, an coniuges per pacta dotalia etiam quoad hanc obligationem aliud statuere possint; cum quoad successionem mutuam, hoc iis licere nullo modo negari possit. Si certis legibus permisum est, non est quod hac de re quaeramus. Et ita vere in locis quibusdam est, in quibus communio bonorum legitima locum habet. Lubecae d) hoc, vti et Bremae e) licitum est, attamen publica declaratio accedat neceesse est, ne aliquis creditorum falsa spe decipiatur. Publicam hanc in commercii fauorem destinatam declarationem etiam Nouum Corpus Iuris Borussici in primis requirit. Modus scilicet, quo derogationem communionis bonorum per talia pacta fieri, hoc ius admittit, hic est:

i) Solummodo ut ante initum fiat matrimonium f);

E 2

2) Iu-

c) Diff. cit. de I. et O. coui. ex c. b. §. 9.

d) GÜTSCHOW Diff. de Stud. Lubec. pormou. commercia. §. 11.

e) GILDEMEISTER Diff. de com. b. inter coniug. maxime ex LL. Breman. §. 21 et 25.

f) Allgem. Gesetzb. der preuss. Staaten. Th. II. t. I. Abs. 6. §. 412.  
et 13.

- 2) Iudicio denuncietur, et ephemeridibus publicis, ternis vicibus notificetur *g)*; praetereaque  
 3) Si in emporiis mercator hoc pactum init, hoc pactum ipsum curiae mercatorum affigendum est *h)*.

Quorum requisitorum si vnum vel alterum haud obseruatim, statim bona ut communia tenentur tertio *i)*. Pertinent tamen haec requisita solummodo ad communionem aeris alieni. Futura enim coniugum successio, omni tempore, et ante, et post initum matrimonium, remotis omnibus solemnibus tolli potest *k)*.

Derogationem communionis aeris alieni, iure Hamburgensi fieri posse, affirmant *Icti*, et praesertim quidem *KLEFKERVS* noster; qui praeterea, quod ad modum attinet, quo tolli debet, eam perinde ac societatis contractum, tolli contendit *l)*. Viro tali contradicere, parum quidem sustineo; tamen forsan contendere licet, casus illos in quibus communio illa aeris alieni deficiat, haud esse frequentes; eodemque omnino non ex Statutorum istorum, a *MEVIO* allatorum textu *m)* (Part. II. t. 1. art. 11. et Part. III. t. 3. art. 8.) pretendos esse. Ibi enim tantummodo de bonorum communione quoad effectum successionis coniugum sublata, sermo est.

Et si vero leges in emporiis permittant, ut coniuges obligacionem pro debitibus alterius vitent, haud omnia tamen commoda mercatu-

*g)* ibid. §. 424.      *h)* §. 425.      *i)* §. 429.      *k)* §. 416.

*l)* *Sammel. Hamb. Gesetze* Th. IV. pag. 110.

*m)* ad Ius Lub. Lib. 1. t. 5. art. 5. n. 39.

caturae ex lege communionis bonorum exorta, remouentur. Siquidem certe vxori, iuris communis praerogatiua dotis non plane concessa est. Haec enim iura particularia, hac in re nunquam ius romanum receperunt, adeoque nec coniuges idem per pactum consiliuere valent. Vxor igitur, simulac pecuniam suam marito tradidit, in eius concursu haud meliore, ac reliqui creditores vitur iure; adeoque si in crediti securitatem hypothecam sibi constitui haud curaverit, ad modum chirographariorum creditorum, pecuniam suam in ultima classa accipit.

### §. XI.

#### *De obligatione vxoris ad soluenda debita mariti, ex speciali legis dispositione oriente.*

In illis regionibus, in quibus nulla aeris alieni communio legitima inter coniuges locum habet, tamen vxoris opes in nonnullis casibus ex speciali legis dispositione pro mariti debitis obligatae sunt. Secundum iura Electoratus Saxonici vxor praerogatiis hisce pollet, quibus bona sua ex massa concursus mariti recipit; attamen et in his terris per Edictum contra Bancoruptores de anno 1766 §. 15 a) constitutae sunt, exceptiones hae:

- 1) Vxor omnia, a marito eo tempore cum soluendo adhuc effet, sibi donata, massae reddat; ratione hac: ne vxor cum damno creditorum in lucro versetur.
  - 2) Femina viro obaerato ea mente, ut creditores fallantur nubens, ad aes eius alienum soluendum tenetur; — quod Decisum
- a) Quae inuenitur, im Leipziger Intelligenz-Blatt vom Jahr 1767. n. 4.

sum de anno 1661 b), per supra allegatum Edictum §. 15 confirmatum, constituit. Aduersariis tamen incumbit probatio doli, qui eo potissimum se exserit, cum vxor opibus suis adeo iupense viuit, quo creditores inducantur, maritum diuitem putare, illique plura credere; quibus debita augentur, concursusque maior fit. Neque sub his conditionibus iniquum est, vxoris opes obligatas esse ipsamque tali modo ad reparandum damnum quod ipsa adulit, teneri. Vxorem contra, quae quamvis sciens, minime tamen dolose, sed ob causas quae alioquin cauiae nubendi esse possunt, obaerato nupsit, praerogatiis suis privare, cum nubendo animi affectus sequeretur, apertas omnino aequitatis offenderet regulas e). Porro supra allegatum Edictum constituit

3) Vxorem nimia profusione sua, vt maritus foro cedere coactus sit, efficientem, pro eo teneri. Per quam dispositionem summa aequitas in legem scriptam transit; siquidem vxor id eius causa maxima fuerit, soluat.

Vltimam hanc ob causam, etiam Ordinatio Concursus Processus Prussica, vxori dotis praerogatiuam adimit, eamque solutionem praeflare obligat d). Eadem etiam, ipsam a viro acceptas donationes in specie adhuc existantes, massa restituere, iubet e).

Quod

b) LVDOVICI concurs. Process. c. X. §. 34.

c) Controversia de hac re videat. in LVDOVICI Conc. Proc. l. c.

d) Process. Ordin. Th. IV. t. 12. §. 67.

e) Gesetzbuch Th. II. t. 1. Absch. 4. §. 312. sq.

Quod de vxore concursus causa dictum est, eam tunc felicet et debita soluere teneri: etiam secundum leges reipublicae Francofurtanae f) vt et Norimbergensis g), locum habet. Et praeterea, dum leges Francofurtanae coniugi superstiti, successionem in omnia bona mobilia defuncti, usumquefructum immobilium, donec in viduitatis statu remaneat h), concedunt, eundem etiam si hac legis permissione utatur, soluere iubent omnia debita, quae tam ante initum matrimonium, quam constante illo contracta fuere, quantumuis superent defuncti opes quarum possessionem sibi vindicauit. Nam eos se obligat ad defuncti facta praestanda i). Quodsi vero tacite bonorum possessionem retinuit, tamen si intra triginta dierum spatium actiuia passiuis superari sentit, intra hoc temporis spatium adhuc, minime vero postea separationem vrgere potest k).

De vxore, communem negotiationem cum marito gerente, imprimis Reformatio Norimbergensis plures peculiares definitiones continet l). Sed cum obligatio haec, ex principiis contractus societatis originem ducat, de his in capite — de Societate — agendum erit.

#### §. XII.

f) ORTH *Anmerkungen über die Reformation der Stadt Frankfurt a. M.* Fortsetz. p. 94.

g) Reformat. Norimb. t. 22. L. 2.

h) Reformat. Frankofurt. Pars 5. t. 8.

i) ibid. P. 3. t. 7. art. 2. sqq. ORTH cit. l.

k) Ref. P. 3. t. 7. art. 6. 8.

l) t. 28. L. 6.

## §. XII.

*De actione Pauliana.*

Quo massa constituantur, ea, quae in fraudem creditorum alienata sunt, actione Pauliana repeti oportet. Quam tamen latissime patentem materiam pluribus exponere, libelli certe huiusce modum excederet; praetereaque materia haec ad caput, quo de emtione venditione agendum est, commodius referri potest. Quid hac in re Hamburgi iuris sit, iam in alia dissertatione, nuperrime edita expostum video a); qua allegata plura addere superfluum puto.

## SECT. II.

*Quid a massa separandum.*

## §. XIII.

*De iure vindicationis et separationis in concursu.*

Haud omnia, quae apud cridarium inueniuntur, ad massam ex qua creditoribus soluitur, referri possunt. Sunt enim creditores qui iure separationis gaudent, eamque ob rem nec *accordium* nec concursum accipere tenentur. His annumerantur

I. Om-

a) SCHRÖTTERINK de Obacrato tam naturaliter quam ciuiliter tali, an et quatenus iure hamburgensi valide contrahere et in iudicio agere possit. Goettingae 1791.

I. Omnes quibus res ex massa vindicandi ius est. Secundum ius romanum hoc omnibus tribuitur, qui actione reali rem persequi possunt, hypothecaria tantum excepta; hypothecarii enim concursum adeant a). Hereditatis petitio contra credarium locum habet, si absque titulo, hereditaria bona possidet. Quodsi hereditate potitus est, ex qua legata illi soluenda sunt, legatarii haec actione ex testamento flagitant b). Denique etiam creditoribus defuncti ius, separationem bonorum ab illo relictorum vrgendi, datum est c). In seruitute separatio haud necessaria est, quod onus hoc, rei inhaerens, in quemcunque istius possessorem transit d). Rei vindicatio in cursu, vt et extra ipsum, contra quemcunque possessorem datur; vnde etsi tertius iste bona fide possideret, ex massa tamen ipsius, dominus res suas sumit, sine villa primi possessoris conuentione e). Ex iure dominii sibi vindicant:

- 1) Vxor, omnia illata exstantia.
- 2) Liberi, bona sua exstantia.
- 3) Qui in communione rei cuiusdam cum debitore erant, quippe qui partem suam actione diuisoria petunt.

4) De-

a) GMELIN *Ordn. der Gläubiger* c. I. §. 3. et 16.

b) LAVTERBACH Coll. theorēt. pract. T. de reb. auſtorit. iud. poss. §. 17.

c) LEYSER Spec. 489.

d) GMELIN I. c. §. 4.

e) CARPOV P. I. C. 28. def. 19.

- 4) Denique et ii, quorum res a debitore, ex contractu dominium non transferente, possidentur; nimisrum:  
 a) Mandans, qui ipsi rem dedit administrandam,  
 b) Deponens rem depositam, etiam pecuniam numeratam in specie adhuc existantem,  
 c) Venditor res traditas, sive de pretio non habita.

Cum dispositionibus his iura Francosurtana et Norimbergensia plane congruent, nec speciale quidquam consituant. Notandum solummodo ius vindicandi in bonis mandatis, quae a mercatore *Commissions-Güter* vocantur praecipue locum habere.

Ius Electorale Saxonum, merces venditas nec tamen solutas, vindicandi ius creditor iunc solummodo dat, si merces fallito ante duos, quam foro cedere cogebatur<sup>f</sup>, menses, venditae sint f). Restrictio haec omnino necessaria erat, qua scilicet mercimonia contra periculosissimum ius vindicandi a tertio possessore, tutiora reddebantur. Porro ius supra memoratum cambii, cuius valutam emtor illius haud soluit, vel si venditio intra quatuordecim ante motum concursum dies, facta fuerit g), pecuniae pro co acceptae, vindicationem concedet.

#### §. XIV.

*Rei vindicatio secundum ius Hamburgense, Lubecense et Brandenburgicum, in concurso.*

Rei vindicatio Hamburgi, Lubecaeque nunquam contra tertium possessorem, qui iusto titulo et fide bona rem accepit, locum habet;

f) cit. Edict. contra Bancorrupt. ab a 1766. §. 20. g) ibid §. 21.

habet; in vtraque ciuitate valet illa iuris paroemia: -- *Hand muss Hand gewahren* -- a) qua regula negotia mercatura equae ab omnibus calumniosis libibus huius generis defenduntur, quaque omnia maxime tenuia sophismata iuriumque dominii distinctiones, quas ius romanum habet, in ciuitatis salutem derogantur. Nov. Corp. Iur. Borussici medium quoddam tenuit; contra ius romanum emtorem quidem tutum de rebus entis reddens, nec tamen iura veri domini ex altera parte nimis coercens. Huic enim vindicationem dat contra tertium possessorem, qui res lucrativo titulo accepit, simpliciter b); quodsi vero oneroso, solummodo res reddere tenetur, si vindicans ipsi pretium quod soluit reddit c). Necesse tamen est, titulum, quo acquisiuit, iustum, possessoremque ab initio in bona fide fuisse d). De iuribus vindicationis circumscriptae, et de commodo quod commercia inde percipiunt, alio capite certe agendum erit; hoc loco illud tantum obseruandum est, ius vindicationis in concursu contra massam solummodo adhiberi posse, in qua debitor primus post alterum possessor est.

Ius Electorale Brandenburgicum secundum hanc moderationem casdem de vindicatione in concursu habet dispositiones, quas ius ro-

F 2.

ma-

a) de Hamburgo vid. Statut. P. 2. T. 2. art. 7. KLEFKFR Samml. Hamb. Ges. Th. IV. p. 269. sqq. de Lubeca cf. Stat. P. 3. T. 2. art. 2. MEVIVS I. Lub. ad illum. art.

b) Allgem. Gesetz. Th. 1. t. 15. §. 24.

c) eod. §. 26. d) §. 17.

manum. Haec pauca tantum in Nouo Corpore Iur. Borussici ab eo discrepantia reperi; regulam, emtionem venditionem pretio nondum soluto, nullam esse, venditoremque igitur res traditas vindicare posse, si modo ipsi fidem haud dederit, ita determinandam esse: vt hanc dedisse praesumatur, si ipsum octo dierum spatio rei traditae praeterlapsa, haud appellat e). Rebus, in commissionem missis dominus, vel exstantes merces vindicat, vel his venditis, pretium, quod tunc in locum rei transit f).

In iure Lubecensi nullas omnino hac de re dispositiones, exceptiones a iure communi facientes, reperi.

Ius Hamburgense vero de hac vindicatione plures easdemque propiores quam ius commune determinationes continet, et nonnulla addit. Constituit nempe:

- 1) Vxor cum illatam dotem per quinquennium solummodo servare possit; vt et bona exstantia durante hoc termino tantum vindicare valeat g).
- 2) Res commissae quid attinet: merces mercatori Hamburgensi missae, vt eas vel vendat, vel alteri mittat etc. omnes, quae apud eridarium adhuc in specie reperiuntur a domino vindicari possunt. Quodsi hic eas forsitan vendiderit, emtorque pecuniam pro ipsis soluerit, tunc committentis est, nomen suum massa indicare, atque

e) *ibid. Th. I. t. II. §. 226. 30.*

f) *Proceß-Ordn. Th. IV. t. 12. §. 21.*

g) *Hamb. Fall. Ordn. art. 30.*

atque parum fortiori iure, ac quilibet reliquorum creditorum  
fruitur. Si vero emtor nondum pretium mercium soluerit,  
tunc committenti tamquam domino rerum, actiones quibus pecu-  
niam exigat, ceduntur, quandoquidem et hic pretium in locum  
rei transit. Supponendum tamen est, commissarium commit-  
tenti haud de eo, quod vocant *del Credere* stetisse. *Del*  
*Credere* est, cum commissarius pro solutione istius, cui ali-  
quando merces venditurus erit, spondet; futuri emtoris igitur,  
qui committenti parum cognitus est, expromissor fit. Hoc  
casu massae particeps fiat, siue emtor soluerit siue adhuc solu-  
turus fuerit; ab hoc pecuniam flagitare non potest, cum fal-  
lito haud vero emtori crediderit h). Aequitas legis huiusc  
magis apparebit, si cogitamus, hoc interdum ipsi committenti  
utilissimum fore. Quodsi enim fingimus, commissarium in  
soluentem factum esse, simulque emtorem bonis cessisse,  
massamque huius adeo tenuem esse, ut parum redeat, massam  
alterius vero largiorem euadere; committens solummodo ex  
largiori hac solutionem petere valet; maioremque igitur solutio-  
nis partem accipit, quam massa commissarii, ac creditor falliti  
emtoris, ex illa massa accipit, quia *del Credere* stetit. Dispo-  
sitio haec vero tantum in rebus in commissionem missis,  
haud vero in aliis negotiis locum habet. Quando enim  
commissarius in aliis negotiis mandatis *del Credere* stetit,

F 3

tan-

h) ibid. art. 26.

tantummodo obligatus erit, si principalis debitor haud solvendo est i).

- 3) Venditor res traditas, quarum pretium nondum accepit, ut et secundum ius commune, ab emtore vindicare potest. Hoc tamen ita definitum, ut tantum fieri possit, si merces intra quatuordecim ante motum concursum dies fallito venditae fuerint; ex altera parte vero ius hocce contra ius commune eo extensum est, ut merces quoque licet fides emitori habitas, viadicari possunt k).
- 4) Peculiaris quaedam ratio in mercibus istis locum habet, quas credarius ab exteris arcessit litteris, nec statim soluit. Quas si accepit, nulla domino datur vindicatio, quamvis vel omnes in aedibus debitoris adhuc inueniantur. Merces tamen post declaratum concursum aduectas, curatores quidem massae nunquam accipere possunt, nam per se patet haud illis licere massam cum damno alterius augere; tunc vero res in eo vertitur, quis litteras recognitionis vulgo — *Connoissement* — vocatas l), possideat. Si credarius eas adhuc tenet, dominus rei dispositionem

i) illustrat hoc atque praejudicato comprobant: SIVEKING *Von der Affueranz für Rechnung eines ungenannten Verficherten.* Götting. 1791.  
§. 51.

k) Fall.-Ordn. art. 24.

l) Verbum illud — *Connoissement* — imprimis de mercibus, per mare nauibus aduectis ponitur. Est vero confessio nautae, sese merces tran-

tionem habet, cuinam quae adiuehuntur merces tradendae sint; quod statim nuntio bancorruptionis accepto, mittendis secundis recognitionis litteris, facere solet. Quodsi vero eridarius *primas litteras* ante motum concursum vendiderit, (Hamburgi scilicet merces venduntur, priusquam aduenerunt — litterae recognitionis mercibus praesentibus pares putantur, et damnum sicuti commodum ipsarum in emtorem transferunt,) *secundum litteras* nil amplius valent; nouus primarum recognitionis litterarum dominus aduectas merces accipit, et is, qui ipsas misit, tamquam creditor chirographarius massam aggrediat necesse est *m).* Lege hac nil noui constitutum est; ex ipso enim principio manat, rei vindicationem haud contra tertium possessorem locum habere. Eadem ratio est, si litterae recognitionis alteri oppignoratee sunt; attamen dominus rei hic, oblato pretio ab illo dato, rem luere poterit *n).* Translatio harum *litterarum* ex generali lege permissiva saepe talis esse potest, vt illae in solutum

cre-

transfuehendi causa accepisse, et hoc secundum mandatum facturum esse. Hae litterae tunc in triplo prescribuntur, unum exemplar nauta retinet, reliqua vero duo illi dantur, qui res transmittit; qui alterum eorum ei mittit, qui merces accepturus est. Nauta tunc illi merces tradit qui apographum illud, suo aequale possidet. Ille, qui transmittit, ex hac causa duo exemplaria accepit, vt commissario apographum reliquum mittat, si forte vel alterum amitteretur vel si quid eiusmodi accideret de quo in § mentio fit cf. KLEFKER *Samlung Th. IV.* p. 275.

*m)* Fall. - *Ordn.* art. 25.

*n)* eod. art.

creditorum cuidam dentur. Quis quaeſo, creditori hoc in vi-  
tium vertet, qui ita comodum ſuum enixe curat. Non eſt  
quod quaerat, num illud, quod ab altero in folutionem ac-  
cepit, proprium ipsius fuerit, nec ne; nam pro poſſeffore  
quolibet militat praefumtio: id eſſe ſuum, quod manibus tenet.  
Tamen, cum hac in re multa fraudum genera accidere poſ-  
ſent, quod ad regnum Galliae attinet, in conuentione de  
anno 1789. qua regnum illud cum republica Hamburgiſi  
commercii tractatum anno 1769. conditum, prolongauit o),  
hoc mutatum, statutumque eſt: “venditionem litterarum hanc  
legitime factam eſſe censendam, niſi euntor merces reuera ſoluerit,  
nec adeo venditio tantum simulata fuerit; quod igitur, ſi dubium  
iudici ſit, ab euntore iureiurando conſirmari debeat”.

Praeter has, ius commune aliter determinantes diſpoſitiones,  
leges Hamburgenes alias r̄es vindicandas ſupra memoratis adhuc  
addiderunt; ſcilicet:

- 5) Si fallitus intra octo dies ante bancorruptionem ſuam, cam-  
biū quoddam emerit, nec valutam persoluerit; cambium  
exſfans, vel ex maſſa repeti, vel ſimulac pecunia a traſlatō  
redit, haec pecunia pro hoc cambio flagitare poterit vendor.

Tunc

- o) Tractatus de a. 1769 inuenitur in KLEFFER Samml. Hamb. Gef.  
Th. VII. p. 664. Conuento de anno 1789, autem in ANDERSON  
Samml. Hamb. Verordn. Band 3. Heft 1. p. 22.

Tunc scilicet ponitur cridarium haud personam interuenientem  
seu indossatarium fuisse p).

- 6) Si asscurator soluere nequit, ideoque ea haud praestare valet,  
quibus semet ipsum obligavit, scilicet, ut pro mercibus, de  
quibus cautionem suscepit, spondeat; asscuratus pecuniam,  
quam antea praemio dedit, ad reassecurationem curandam,  
repetere potest q).

### §. XV.

#### *De iure separationis hypothecae specialis et pignoris Hamburgi.*

Ius commune hypothecarios speciales cum generalibus concurrere  
iubet; vtique in eandem collocantur classem atque ius ipsorum, solu-  
tionem ex hypotheca sumendi tempus sequitur, quo nocti hanc sunt.  
Quodsi generalis hypothecarius prior erit tempore, res specialis quae-  
libet, alteri serius oppignorata, ad satisfaciendum ipsum sumitur a).  
Idem etiam ratione pignoris sit. Qui possidet pignus, ex eo  
solutionem haud sumere potest, si antea creditor iudicium in id hy-  
potheca constituta est, nisi ille alio modo solutionem suam iam ac-  
cepert; quidquid ab hoc actione hypothecaria ad pignus tradendum  
cogi potest b).

Ham-

p) *Fall.-Ordn. art. 27.*

q) cod. art. 62. et *Hamburg. Asscuranz und Haversy Ordn. t. 18.*  
art. 2. inuenitur in *KLEFKER l. c. Th. 1. p. 28.*

a) *WESTPHAL Vom Pfandrecht §. 41.*

b) *GMELIN Ordn. der Gläubiger cap. 4. §. 8.*

Hamburgi longe aliter haec res se habet. Scilicet hypothecariis specialibus extra concursum quod iis debetur soluitur. Quodsi quis in crediti securitatem sibi hypothecam in quoddam speciale immobile constitui, eamque per consignationem in catastro publico confirmari curauerit, ex hac, domini aedis aut aliis rei immobilis nulla habita ratione, solutionem sumit. Concursum enim moto, aut re immobili vendita ex pretio emtorio, ipsis et sors et vsurae prius soluuntur, quam quidquam in reliquos creditores, tum generales hypothecarios cum et maxime personaliter priuilegiatos redundare possit; ita ut hypothecarii hi, iure separationis fruisci possint c). Quodsi res immobilis haud tanto venditur pretio, ut omnes, quibus in hanc rem hypotheca constituta erat, accipere possint quae iis debentur, hypothecarii seriores damnum persentiant necesse est, residuum tamen ex massa in qua tunc hypothecariis generalibus adnumerantur, petere possunt d). Nemo igitur Hamburgi pecuniam suam tutius mutuo dare potest, quam hypotheca in immobilia, quae pretio creditum aequant, sibi constituta. Ita aedes plurimae Hamburgi re vera ad foeneratores pertinent. Mercator enim ex pecunia negotiando, maiorem usum capere potest, quam vt in aedes et praedia collocet; et ita nullus mercatoris creditor immobilia ipsius pro futurae solutionis obiectis habere potest.

Quod-

c) Stat. Hamb. P. II. T. 5. art. 1. *Fall.-Ordn.* art. 60. §. 1. et 61.  
KLEFKER *Samml.* Th. IV. pag. 576. sqq.

d) *Fall.-Ordn.* art. 61. §. 2.

Quodsi creditori res mobilis pignori data est, haec ipsi summan securitatem praefstat, cum eam haud prius, quam omnimoda solu tione accepta, edere coactus sit. Pignus securitatem hanc et fine confirmatione iudiciali praefstat e).

### §. XVI.

#### *De iure retentionis*

Ius possessoris pignoris, ex eo solutionem extra concursum po stulandi in iis quoque locis admitti censendum, in quibus creditor etiam ex iis debitoris bonis, quae possidet, et quae nunquam ei pignori data sunt solutionem capere potest; nam ius maius in voluit minus. Hoc etiam praeter Hamburgum a), Lubecae b) et Norimbergae c) sit. Est haec concessio legalis, quae ab eo, quod ius commune, *retentionis ius* nuncupat haud parum recedit. Secun dum hoc, tantum ei, cui pignus in securitatem vnius crediti datum, debito hoc soluto, idem pignus etiam propter alind creditum reti

G 2

nere

a) KLEFFKER I. c. pag. 590.

b) Fall.-Ordn. art. 34. §. 3.

b) MEVIVS I. Lubec. ad P. 3. t. 4. art. 5. insine.

c) Nürnberg. Wechsel.-Ordn. cap. 8. §. 1, quae lex est tantummodo de debitis cambialibus loquatur, tamen in omnibus creditis mercato riis, haud vero praeter haec, locum habet. cf. Commentatio in Codicem iuris statut. Norici. Norimberg. 1757. T. 1. pag. 400.

nere licet, L. unic. C. etiam ob pecun. chirog.; quod vero solummodo concursu haud moto, fieri potest d). Praeterea creditor rem debitoris, ob debitum connexum retinere valet, etiam si illi haud pignori data fuerit, vt nempe ea solutionis particeps fiat e). Lex illa igitur maxime particularis est, quae modum istum retentionis, de qua supra mentio facta est, admittit; igitur et in emporiis tantum reperitur f). Secundum nouum ius commune Borussicum minime locum habet g).

### §. XVII.

#### *De iure compensationis in concursu.*

Num compensatio in concursu secundum ius romanum admittenda, in controuersia adhuc versatur a), communis tamen sententia (nam altera iam diu explosa) est, eam omnino locum habere. Requiritur tamen, vt et creditum et debitum ante declaratum concursum exsisterit. Tunc vero regulam illam: compensationem ipso itre fieri L. 21 ff. de compensat. admittendam esse, dubium esse nequit. Commercii salutis imprimis haec sententia fauet, cum fidei publicae, ab eo solutio-

nem

a) LEYSER Spec. 175. med. 5.

e) G. L. BÖHMER diss. de iure retentionis eiusque effectu §. II. sq. in Elect. I. civ. Tom. II.

f) LEYSER Spec. 231. med. I. STRYK U. M. t. qui pot. in pign. §. 2.

g) Allgem. Gesetz. Th. I. t. 20. Abs. 2. §. 566.

h) WALCH controuers. I. ciuil. pag. 797.

nem flagitare, qui reuera haud debitor est, omnino aduersetur. Iura particularia igitur ea expresse constituunt, quae ius commune adhuc in dubio relinquunt, quo lites, ex hac causa orientes, praescindantur. In concursu Hamburgi declarato non solum compensatio liquidi cum liquido admittitur, sed etiam tunc, si id, quod massa debet, illiquidum, et id e contrario, quod alter massae debet, liquidum foret. Solutiones mutuae tantundem differuntur, donec causae cognitio habita fuerit b).

Eodem modo etiam ius Lubecense compensationem admittit c).

Secundum ius Electorale Brandenburgicum compensatio admittitur, etiam si vtrumque debitum quidem liquidum, nec tamen statim exigibile fuerit. Requirit tunc tantum ut, qui contra massam compensationem vrget, anticipatae solutionis usuras praeflet d).

Ius Electorale Saxonicum compensationem probat, si vtrumque debitum est liquidum e).

Ius Norimbergense expresse talem compensationem in debitibus cambialibus admittit f).

### G 3

Com-

b) Fall.-Ordn. art. 34. §. 4.

c) CARSTENS Commentat. de iure compensationis in concursu creditorum secund. Ius Hamburg. et Lubecen. Hamb. 1768. et BÜNEKOW Bibliotheca I. Lubec. Lubec. 1776. pag. 137.

d) Proceß-Ordn. Th. 2. t. 26. §. 118. 19. Gesetzbuch Th. 1. t. 116. Abf. 6. §. 317.

e) Sächsische Proc.-Ordn. t. 59. §. 6.

f) Nürnberg. Wechsel-Ordn. cap. 8. §. 1.

Compensationem istam etiam in republica Francofurtana locum habere, testatur ORTH g).

## CAP. IV.

### *De Ordine creditorum.*

#### §. XVIII.

##### *Ordo secundum Ius commune.*

Massa constituta, prima concursum dirigentis cura est, vt ordinem, secundum quem creditores solutionis participes fieri debeant, ad legum praecepta designat. Ordinis huiusc dispositio quomodo instituta sit, plurimum in commercii vel commoda vel incommoda valere, ex sequentibus clarius apparebit.

Credita mercatoria ex negotiationibus orta, sere semper chirographaria sunt. Mercator enim, dum negotiatur, in vendendis mercibus ad crediti securitatem hypothecam, saltim publicam, aequem minus ac in rebus cambialibus sibi consituere, potest; namque negotia tam celeriter procedunt, vt fortasse impossibile sit, quominus fiat. Quodsi igitur leges multis creditoribus non chirographariis in concurso praelations iura concedunt, hi massam plerunque ita exhausti, vt feriores creditores, chirographarii, nec unicam crediti par-

g) Anmerkung zur Frankfrth. Reform. z. Fortfz. pag. 66o.

particulam accipient. Mercator, si tale quid praevidet, venditionem omnino deprecabitur, si emtori parata pecunia deerit; si vero ita fides tollitur, firmissimum mercaturaे fundamentum erit conquaſſatum. Ciuitas mercatoria igitur salutem vniuersae mercaturaे optime curauit, si nec plures tacitas hypothecas (quamquam aequitas non nullas omnino poscit), nec conuentionales hypothecas in vniuersa bona admittit, vel saltim, vt breuiter dicam, sine exceptione haud concedat, vt creditori tamquam hypothecario generali vniuersum solvatur creditum, priusquam chirographarius quidquam accipere possit. Hypotheca specialis, in immobilia constituta, haud tantum damnum assert, quare hanc in negotiationibus leges semper concedere possunt; nam mercator, tamquam mercator, haud multa immobilia possidere potest, in quibus hypotheca haecce locum habebit, dum in negotiando numeratae pecuniae, minime vero praediorum indiget.

Ius romanum, commercii commoda parum curans, hypothecariis ad modum fauet; si ergo hoc quoad creditorum clasificationem in ciuitatis commercia exercentibus illimitate receptum foret, scopus primarius eiusmodi ciuitatis parum obtineri posset.

Quo aptius tales legum declinationes in ciuitatis mercatoriis, in quibus scilicet plures paucioresue sunt, exponere valeam, liceat mihi iuri romani dispositionem de hac materia paucis proponere. Ius romanum creditores in 5 Classes diuidit a).

I. Classem occupant credita priuilegiata; inter quae referuntur:

1) Im-

a) Fusius hanc materiam tractat GABELIN *Ordn. der Gläubiger im Gant-Proceß*.

- 
- 1) Impenſae processus concursus, et quae ad maſſam conſtituen-  
dam partinent;
  - 2) Sumtus funebres cridarii defuncti;
  - 3) Sumtus medicinales in curam aegroti vltimo in morbo facti;
  - 4) Mereedes famulorum, qui in coniuictu debitoris operas pree-  
ſtitere;
  - 5) Censuſ publici fisco preeſtandi.

II. Clafis continent, hypotheca priuilegiata instructos:

- 1) Creditum pecuniae ad conſequendam militiam;
- 2) Debitum primipilare;
- 3) Dotem illatam;
- 4) Quod fisco debetur praeter censuſ publicos;
- 5) Pecuniam ad refectionem aedis, vel emitionem rei cuiusdam  
creditam, si creditores in has ſibi hypothecam refuerunt;
- 6) Pecuniam pupilli, quam alius ac vtor ad rem emendam ad-  
hibuit.

III. Clafis compleclitur omnes hypothecarios haud priuilegiatos:

- 1) Hypothecas publice conſtitutas.
- 2) Hypothecas tacitas b), quibus praediti ſunt;
  - a) Locator aedis in illata et inuecta ratione locarii,
  - b) Liberi in bona paterna ratione bonorum aduentitiorum,
  - c) Pupilli in bona tutorum; quo iure ciuitates etc. quoque  
fruuntur, quae iura pupillorum habent. L. 3. C. de I.  
reipubl.

d) Vxor

b) CLAPROTH ſum. Proceſſ. p. 604.

- d) Vxor ratione paraphernalium et donationis propter nuptias,
- e) Fiscus in bona ante fiscalem contractum possessa,
- f) Legatarius in bona testatoris defuncti ab herede possessa,
- g) Priuatus, cui ex certo praedio debentur: Canon, decimae etc.
- h) Maritus, in bona eius, qui doteim promisit,
- i) Liberi in bona vitrici, quando mater ipsorum tutrix nondum rationibus redditis ad secunda vota transiit.
- 3) Iudicaliter immisli propter rem iudicatam;
- 4) Hypothecae conuentionales priuatim constitutae.

IV. Classem efficiunt, nonnulli creditores personaliter priuilegiati, qui concurrunt pro rata:

- 1) Deponens, propter rem depositam non amplius exstantem;
- 2) Qui ad rem vel emendam vel resciendam crediderunt, nec tamen sibi referuarunt hypothecam;
- 3) Sponsa ratione dotis praeenumeratae c);
- 4) Alimenta debita.

V. Classem formant omnes chirographarii. Concurrunt pro rata fine temporis discrimine.

### §. XIX.

- c) Controuertitur, an vxoris privilegio gaudeat; GMELIN l. c. c. 5.  
§. 6.

H

---

 §. XIX.

*De ordine creditorum iura quaedam particularia.*

In enumerandis iuribus particularibus de ordine creditorum, cum iure communi maxime congruentia prius tractabo.

Reformatio Francosurtana decem classes creditorum constituit, haud multum tamen a iure communi recedit, sed tantum quos ius romanum in primam et secundam classem ponit in membris separatis nominat. (Vxor propter dotem illatam quartae classi annumeratur). Classem octavam occupant creditores, quibus hypotheca expresa est constituta quorumque nomina in catastra publica redacta sunt, et si qui iudicialeiter confirmatum pignus tenent. Hypotheca priuatim constituta non tribuit ius praelationis praecii chirographariis a). Nona classis omnes eas hypothecas tacitas, quae iure communi classem tertiam occupant continent; ultima denique chirographarios continet.

Ius Lubecense quatuor classes constituit b). Prima et secunda classis, creditores absolute priuilegiatos et hypothecam tacitam habentes continent. Ad hanc classem secundam praecipue referuntur, dos illata vxoris, nisi communio bonorum locum habet (§. VIII); et pecunia eridario absque usurpis credita. Ratio huius posterioris dispositionis est, ut homines mercatori mutuum gratuito dare, allicantur; ergo lex ad promouenda commercia est optima c), Tertia classis complectitur

a) ORTH. Anmerk. zur Frankf. Reform. i Fortsetz. pag. 410.

b) Statut. Lub. Lib. III. T. 3. art. 11. sqq. et MEVIVS ad h. l.

c) GÜTSCHOW cit. Diff. §. 14.

plegitur creditores qui vel expressa vel tacita gaudent hypotheca, ita quidem, ut qui prior fuit tempore, potior fiat iure. Hypothecae expressae vero publice constituantur necesse est; priuatas enim, leges haud ratas habent *d*); licet in praxi, chirographariis creditoribus praferantur *e*). Hypotheca publica vero ad minimum intra quatuor ante concursum declaratum hebdomades, constituta esse debet, alioquin irrita est *f*). Chirographarii ultimam, quartam nempe classem formant. Caeterum arrestum, quanuus ante declaratum concursum in debitoris bona positum sit, praelationis ius non tribuit *g*).

In ciuitatibus Electoratus Brandenburgici septem classes formantur *h*). In prima omnes nomiantur, qui dominium sibi vindicant. In secunda classe cuilibet, pignus in securitatem crediti possidenti, de forte et de impensis ad pignus redimendum satisfit. Quo in loco porro etiam nautis et aurigis, ratione pretii vecturae, ius pignoris in merces veclas conceditur. Creditores qui curarunt ut sibi per consignationem in catastris publicis in rem immobilem debitoris determinatam, vel in omnia eius bona immobilia, hypotheca constituantur, in tertia classe solutionem accipiunt, quoad hypotheca vallet. Quarta classis eos, qui et secundum ius romanum tacita gaudent

H 2

dent

*d) STEIN Einleit. in das lübsche Recht p. 294.*

*e) idem ibid. comprobat sententiam MEVII l. c. ad art. 12 n. 63.*

*f) STEIN l. c. n. 295.*

*g) MEVIVS l. c. n. 73.*

*h) Proces Ordn. Th. IV. t. 12.*

dent hypotheca, continet, v. g. vxorem ratione dotis, nisi communio bonorum aderit. Quibus accedunt societas Assecurationis, si de praemii fidem dederint, quae lex in negotiando certe grauissima est; quandoquidem Assecuratio in commerciis res maximi est momenti. In quintam classem collocantur, qui tenent syngraphas publice confirmatas; aut qui sententia judicis ante declaratum concursum in debitoris bona missi sunt *i).* Sexta classis ex iis constat, qui secundum ius romanum quartam occupant classem. In hac etiam cambiis praecipuus tribuitur locus. Rarissime evenit, ut cambia praeferantur creditoribus chirographariis *k).* Non solum in iuribus supra allatis, verum etiam in iure Saxonico et Hamburgensi ad chirographarios referuntur.

Ius Electoratus Saxonici quatuor creditorum classes constituit *l)*:

Imam classem formant, qui secundum ius commune absolute priuilegiati sunt; praetereaque ii, qui forte obaerato rem aliquam vendiderint et pretium obtinendi causa hypothecam publicam sibi reservaverint.

Illa Classis eos complectitur, quibus hypotheca tacita tributa est. Ordinatio Processus de anno 1724 omnes hypothecas tacitas in

*i)* eod. §. 90.

*k)* MÖNCKEBERG Diff. de iure cambiali in concursu creditor. Götting. 1788 §. II.

*l)* Proces. Ordin. t. 42.

in posterum fustulit, nec vxori, ratione dotis, nec fisco eam concessit *m*), sed praecipit, vt quilibet credita salua habere cupiens, specialem hypothecam sibi constitui curet. Generales hypothecas nullo modo admisit *n*). Mutata tamen ex parte est haec dispositio per Edictum de anno 1734 *o*); quod restituuit hypothecam tacitam fisco, vxori ratione dotis, pupillis et miserabilibus personis in bona tutorum, piis causis in bona administrantium, liberis ratione bonorum suorum in bona vitrii; -- sed praeter his omnino nemini. Hi igitur nominati, tamquam vniuersitatis hypothecarii legales, secundam classem formant.

IIIiae classis continet eos, quibus hypotheca specialis publice constituta est. Nam, cum hypothecam generalem memorata Processus Ordinatio prohibet solus est hic, hypothecam adquirendi modus *p*). Patet igitur

IVtae classi, chirographariis scilicet, massam frequentissime inexhaustam manere. Quantum tales dispositiones ad commodum commercii faciunt, iam supra satis expositum esse arbitror.

Legislatores Hamburgenses talibus prudentissimis institutis simili modo curarunt, vt creditoribus mercatorii solutio paretur. Statuta Hamburg. P. 2. T. 5. ordinem creditorum tractant; collificant in:

## H 3

Imam

*m*) eod. t. 43.*n*) t. 44.*o*) LVDOVICI *Concurs Procesus* cap. 10. §. 9. et pag. 181.*p*) cod. l. c. pag. 84. not. g.

Imam classem eosdem, quos ius commune; absolute nempe priuilegiatos. Quibus accedunt omnia ea, quae operariis mercatori auxiliantibus v. g. nautis, vehiculariis etc. soluenda sunt q). Praecipue in hanc classem ponitur vxor ratione illatorum, cum scilicet pro debitis mariti haud obligata est (§. IX).

Illa classis ex hypothecariis constat, qui hypothecam tacitam vel conuentionalem generalem habent; porro etiam, qui hypothecam publicam in rem immobilem sibi constitui curauere, nec tamen ex ea omnimodam solutionem capere possunt r); qui omnes secundum temporis ordinem solutionis participes fiunt.

IIIiam classem chirographarii occupant.

Quodsi creditoribus secundum ordinem hunc ita satisficeret, vt posteriores tunc solummodo massaee particeps fierent, si primi isti omnem crediti summam, nacli essent, chirographarii, vel omnino nihil vel paululum tantum acciperent; ergo Statutum hoc lex in commercii fauorem, vt tamen supra contendti, conditum haud esset. Hoc vero a legislatoribus nostris *accordio legitime necessario* optime caustum, dum praerogativa hypothecariorum iura minuerunt; sed de his §§is sequentibus pluribus agendum est.

q) *Fallit. Ordn. art. 22. n. b.*

r) *cod. art. 60.*

## CAP. V.

*De pacto remissorio post motum concursum.*

## §. XX.

*De indele et usu huius pacti.*

Creditoribus conuocatis, massaque ita constituta, concursus ad finem perduci potest, vel per formalem processum, vel per pactum remissorium, quod creditores cum debitore ineunt, et quod *accordium* vocatur. Promittunt vero creditores hoc pacto, se in eo, quod debitor fese praesliturum professus, modo res familiaris antea probe explorata, esse acquieturos. Vota creditorum maiora perinde ac in pacto creditorum cum debitore ante motum concursum (cf. cap. 1), quae et hic ex summa pecuniae aestimanda, *accordium* an locum habeat, nec ne, eonslituant. Ad scopum propositum quod attinet, immane quantum *accordium* hoc a supra memorato recedat; quare etiam aestimatio longe aliter cadit. Alterius enim *accordii*, debitoris fauor bonorumque ipsius conseruatio neglecto creditorum commodo, summus erat scopus — cum quam mercaturaे saluti omnino repugnaret iure reprobans erat; hoc vero *accordio* commodum creditorum solummodo spectatur, siquidem hoc pacto inito, perinde ac in formalí concursus processu debitor bona sua omnia, cedere debet. A formalí processu *accordium* eo vnicē diserepat, quod res citius ad finem perducuntur.

ducantur. Quod enim primum ad creditorum liquiditatem, eorumque prioritatem attinet, iudex vel utramque omnino non exquirit et in creditorum agnitione aequiescit, vel lites hac de re ortas, breui manu componit. Deinde in comparandis omnibus, quae ad massam pertinent, ut et in futura massae distributione Ordinatio Processus parum stricte obseruantur, magisque arbitrarie agitur; e. g. vni vel alteri creditorum satisfit re aliqua ex massa ei tributa, et celerius ita agitur, quam, formalii concursus processu, agi potest. Denique nullum proprium concursus forum constituitur, quod omnes lites particulares sisit, easque ad se trahit; sed potius curatores per transactionem a litibus ipsis massam liberare student. Commodum creditoribus ex hoc agendi modo exortum, hoc est, quod nunc multae ambages, quae certe nec optima Concursus Processus Ordinatione tollendae fuissent, remouentur, ipsique creditores citius solutione potiuntur. Quodsi igitur patet, ex massa, impensis saltem deductis, haud plura esse redditura, etiam si concursus per formalem processum ad finem perduceretur; quid, queso, modus iste solemnior procedendi iuuaret? Commodum hoc quod creditores pecuniam suam prius accipiant, si iidem mercatores sunt, maximi certe momenti est. Mercator enim accepta pecunia statim gerere potest negotia sibi magis profutura quam incrementum, quod forsan cepisset fors eius, si eam sic, sine fructibus atque usuris in massa iacere sivisset.

Cum vero pluribus legibus cautum sit, atque praeceptum, ut tunc solummodo, si debitor vir probus, nec suae ipsius miseriae auctor, idemque notus defraudator, sed potius aduersa fortuna usus fuerit,

fuerit, *accordium* locum habeat; haud desuerunt qui contenderent, *accordium* illud omnino iuris beneficium esse debitori tributum. Sed proorsus nullum exstat requisitum, quod ab *accordii* notione parum feniungi possit, vt debitori necessario aliquid restare debeat, si concursum per *accordium* ad finem perducitur. Neque raro in patria mea euenit, vt debitor et in *accordio* ad incitas redigeretur. Quamquam vero haud inficias eo, debitori inde saepissime salutem enasci et occasionem qua fortunam aduersam secunda permutare possit; hoc tamen regulariter ex creditorum benignitate solummodo pendet, dum ei haud omnia auferunt; cum contra in formali concursu iudie, hunc dirigenti, fallito aliquid relinquere hand liceat.

Stat igitur sententia, rationem legis, nonnisi debitori probo *accordium* creditoribus offerre concedentis, hanc esse; quod quilibet tune sibi persuasum habere possit, omnia ad massam pertinentia ad eam esse redacta, nec ullum creditorem supposititum nomen dedisse. Si igitur in his solummodo casibus atque has ob causas romanæ leges, pactum remissorum tractantes a), applicantur; profecto aequum est, maiorem creditorum partem, dissentientium minorem vincere. Nam propter nonnullorum creditorum pertinaciam et immisericordiam, quae sola eorum dissensus ratio esse potest, reliqui, *accordii* commodis haud priuandi sunt. Et sub hac rerum conditione ex mea opinione leges de *accordio* ab omnibus ciuitatibus, mercatura vigentibus receptae sunt.

#### Ordinatio

- a) I. H. BÖHMER de pacto remissorio, moto concursu, in Exere. ad D. Tom. V. STRYK V. M. t. de pacis §. II.

Ordinatio Processus Prussica sententiam, leges illas haud in debitoris commodum latas esse, expresse confirmat b). Atque idem patere videtur ex Ordinatione Fallitor. Hamburgensi, quippe quae, *accordium* admittendum esse jubens, et si debitor defraudator sit c), remedia assert, quibus, si forte debitor falsum bonorum statum indicauerit, verus explorari potest; quod ex sequentibus clarius apparebit.

### §. XXI.

#### *De creditoribus hypothecariis*

Momenti maximi quaestio est utrum hypothecarii quoque, an soli chirographarii, quippe qui omnes eodem iure fruuntur, *accordium* accipere cogantur.

Illos iure communi ad accipiendum *accordium* haud obligatos esse, assero. Cum enim priuilegium iis datum, ex quo anteriores prae senioribus omnem solutionem capiunt, ultimorum creditorum voluntate iuribus suis priuari haud possunt; cumque illi sibi solutionis obiectum reseruarint, contra damnum quocunque feso munierunt a). Cum vero salus commercii postulet, ne creditoribus propter tam paruum meritum, quam hypothecae constitutio est, praelatio maximi momenti prae reliquis illimitate concedatur, tamen generales hypothecae, etiam si commercio sint nocentissimae, omnino

pro\*

b) Th. II. t. 26. §. 252.

c) art. 46.

a) I. H. BÖHMER cit. Diff. de punct. remissoria 89.

prohiberi nequeunt *b)*, egregium profecto est institutum eos minus nocentes reddere, quod et ipsi *accordium* accipere tenentur. Creditores, quibus specialis hypotheca constituta est, omnino ab *accordio* seiusungi possunt, cum exclusuum sibi in solutionem sciunxere obiectum, ex quo ergo nemo seniorum creditorum eam sperare valet. Quare modus hic unicus sit necesse est, quo foenerator pecuniam suam tutissime mutuo dare possit. Idemque in mercaturae commodum maxime vertit; — mercator enim qui ita immobilia alieno sibi comparauit pecunia, propria, negotiando maius lucrum facere potest. Legem igitur Hamburgi obtaintem, quae creditori qui speciali gaudet hypotheca extra concursum sibi crediti solutionem parare concedit, (§. XV) omnino probo. Atque pari ratione et istam legem Hamburgensem, ex qua, qui generalem hypothecam sunt consequuti, si cursus per *accordium* finitur, in debitoris bancorruptione simili modo, quo creditores chirographarii, damnum patiuntur, iis quae supra dixi defendo; quid quod summam legislatorum prudentiam atque accuratam rerum quae ad mercaturam pertinent, cognitionem probare, existimo. Caeterum notandum, legem inter hypothecas generales siue conventionales siue legales sint, nullum constituere discriminem. Vnde e. g. nec pupillus ratione hypothecae in bonis tutorum, iure praelectionis gaudet *c)*.

*b)* sicuti hoc in Saxonia electorali (§. XIX).

*c)* Fall. Ordin. art. 59.

Priusquam tamen caetera quae hac de re dicenda sunt, expōnam, liceat mihi obseruationem hanc praemittere: Nimirum quaeritur num certe in eo, quod leges vel omnino hypothecam generalem vetant, vel tamen praerogatiwas, quas ius commune ei tribuit, inflectant, aliqua mercaturaē politia lateat? numque harum legum comoda, occurrentibus incommodis haud superentur? Haud nego has leges sua incommoda habere; iis enim latis foeneratores dubiare poterunt pecuniam mercatori, negotiandi causa, mutuo dare, (quē certe huic maximum praestat emolumentum). Attamen spero, fore, ut mercatori, mutuum querens hoc parum defuturum sit. Quodsi enim quilibet pecuniam in praedia aut alia immobilia solummodo daturus esset, certissime vſuræ mox diminuerentur, quod feneratorib⁹ parum placeret; nihilominus ergo mercatori pecuniam mutuo dabunt, quandoquidem, licet maius subeant periculum, maioribus tameū fruantur vſuræ. Vnicum tantummodo inde exoritur malum, mercatori scilicet nunc maiores vſuræ soluendae erunt.

## §. XXII.

### *De pacto remissorio secundum ius Hamburgense.*

Leges Hamburgenses haud plane arbitrio creditorum, maximoue suffragiorum numero, vtrum locum habeat *accordium* nec ne, reliquerunt; sed in certa massæ magnitudine, solutis iis, quae debentur creditoribus primæ classis [quippe qui omnimodam solutionem accipiunt a] accor

a) *Fall. Ordn. art. 22. 60.*

*accordium fieri iubent b).* Vnde si curatores bonorum massam constituentes certissime praevident eam tantam fore, ut *accordium* iniiri debeat, adeoque formalis concursus processus nullo modo locum habere possit, creditoribus hunc rerum statum indicant c), et ita adipiscuntur ius, concursum extra judicialiter tractandi; auctoritate scilicet publicae Commissionis, atque conclusi creditorum, nec tamen in qualibet re peragenda consensu speciali creditorum indigent. Praeterlapsi trium mensium spatio, ordinarie creditores coram commissione convocant, atque de rebus usque ad id tempus gestis certiores facere debent. Saepissime tamen, quando *accordium* locum habet, necessaria est conuocatio extraordinaria, veluti si lites magnae atque longinquae massae imminent; vel lites iamiam suscepiae transactione componi possunt d) etc. Quod reliquum est, in huius generis deliberationibus vota creditorum maiora (quorum rationem supra §. V. exposui) valent e).

Ad exquirendam creditorum liquiditatem quod attinet, et hoc curatorum explorationi relictum manet, quippe qui de hac re ex libris mercatoriis falliti, homine qui est a rationibus publico, uno vel altero adhibito, optimum ferre valebunt iudicium. In hac rerum institutione omnes reliqui creditores acquiescere possunt; nam bonorum curator omnibus illis consentientibus electus, ideoque vir probus prudensque ab iis declaratus est, praeterea que ad reperandum quod

b) art. 80.

c) art. 46.

d) art. 56.

e) art. 2.

quod male administrando bona, creditoribus dat, obligatus est f). Si forte nominis cuiusdam liquiditas nimis difficultatibus implicata videtur, haecca causa a cur'oribus vel commissione proponenda g), vel si creditor nomen edens eius dijudicationi fere subiicere non vult, causa ad iudicium mittenda est. Vnde tamen nec res concursus remoratur, nec creditor interea a concilio reliquorum creditorum remouetur h).

Creditorum ordinem curatores honorum eodem iure secundum normam legum designant; quod, cum hae leges admodum perspicuae sunt, haud difficile est i). Vnde patet prioritatis sententiam, in accordio a iudice nunquam ferri k). Quo celerius res ad finem perducatur, bonorum curatores si nondum omnis ad massam redierit pecunia, et nonnulla actua vel litibus adhuc suspenduntur, vel incerta exstant, plerumque haec aut vni creditorum in solutum cedere solent, ant obaerato, vel gratis vel pro summa, quam forsitan illius amicus quisquam massae soluit, relinquunt. Eodem modo libentius certa summa pro suppellectilibus etc. ab amico debitoris accipitur, priusquam omnia auctio publica vendantur. Quodsi ea quorum redditus vel litibus, vel aliis causis retardantur, magni sint momenti, creditores tamen nihilominus operam dare possunt, ut concursus finiatur. Omni enim distributa massa curatoribus mandatur, quod

exi-

f) art. 98.

g) art. 56.

h) eod.

i) art. 58.

k) art. 18.

exigant quae massae debentur, et quae accipiunt creditoribus distribuant<sup>1)</sup>.

*Articulus 46 Ordinat.* Fallit. hanc accordii propositionem intra 6 mensium spatium fieri iubet; attamen res nonnunquam tot, tantisque difficultatibus obstrictae sunt, vt terminus iste parum sufficiat. Quare etiam in articulo 1. *Additionalium de an. 1792.* authentice hoc ita declaratum est vt bonorum curatores tantum eam pecuniam, quam usque ad tempus definitum in massa repererint, creditoribus diuidendo proponant. Hamburgi et chirographarios, et generali hypotheca, tam legali quam conuentionali, praeditos creditores, accordii participes fieri iam §. antecedente expositum est. Leges Hamburgenses hypothecariis in accordio adhuc adnumerant: 1) Committentem, si massam adire coactus, quia debitor merces transuehendi causa ab eo sibi missas fraudulentiter suo nomine alienauerit (§. XIV). 2) Deponentem, si fallitus res depositas interuerterit. atque 3) Eum qui oberato mutuum sine usuris dedit. Hi vero omnes in hypothecariorum classe semper ultimum tenent locum *m).* Omnes hypothecarii in duas partes ita diuiduntur, vt vniuersa eorum quae iis debentur, in medium dissecentur; tempore priores primam, seniores vero secundam classem formant *n).* Quidquid si unus tantum adest hypothecarius, altera pars crediti ipsius primae, altera vero secundae classi adnumeranda foret. Tertiam classem chirographarii consti- tuunt, et sine discrimine in exsoluendis pecuniae summis concurrunt.

Plu-

*1) art. 48.*

*m) art. 71.*

*n) art. 49.*

Plures quam hae tres classes in *accordio* haud admittuntur; nam absolute priuilegiati, prae omnibus solutionem capiunt, ut iam memoranum.

Massae distributio ita sit, ut prima classis, duplo plus accipiat quam tertia, et secunda, dimidio plus quam tertia, adeoque secundum proportionem 2, 3, 4 o). Quamvis enim leges, etiam hypothecarios in *accordio* damnum aliquod pati iubeant, eadem tamen is praerogatiuam quandam prae reliquis tribuunt p).

Haec omnia spectant ad *accordium necessarium*, quod leges a creditoribus accipi iubent. Ante vero adesse debet massa, ex qua creditores ad supra nominatam progressionem 20 et 30 et 40 proCt. accipere possunt q); si enim massa minor est, *accordium* leges non amplius iubent, sed creditorum relinquunt arbitrio, utrum nihilominus hoc pactum inire velint, an ad formalem concursus processum rem deducere malint r). *Accordium* tamen locum habere non potest, nisi ex quatuor creditorum votis tria saltem *accordium* probent s). Quamquam haud raro massa tam parua sit, ut *accordium necessarium* locum habere non possit, tamen, in honorem reipublicae huius affirmare queo, massam et saepe tam bene esse instructam, ut chirographarii 50 proCt.; hypothecarii posteriores 75 proCt. et anteriores totius crediti solutionem i. e. 100 proCt., accipiant.

Quibus omnibus hactenus peractis, bonorum curatores commissione et reliquorum creditorum concilio rationes proponunt; creditores

o) art. 48.

p) art. 47.

q) art. 48.

r) art. 50.

s) eod. art.

tores dant pecuniae acceptae epocham, quae praeterea magistratus communissariorum subscriptione corroboratur, hi tunc de re peracta ad senatum relationem faciunt *t).* Curatores bonorum cura liberantur; et de pecunia quam creditori cuilibet exsoluerunt, pro labore 2 pCt. tamquam honorarium accipiunt *u)*; quibus tandem peractis, debitor absolvitur.

### §. XXIII.

#### *De pacto remissorio Saxonico et Brandenburgico.*

In Electoratu Saxonico leges *accordium* admittunt, si a maximo creditorum numero probatur; et massa tanta est, ut quilibet creditorum 50 pCt. accipiat; alioquin minor dissentientium numerus maioris decreto ad ineundum *accordium* haud cogitur. Absolute priuilegiati omnem crediti summam anteceperint necesse est, priusquam *accordium* sit admittendum. Porro *accordium* nec ad creditores attinet qui et tacitam habent hypothecam, nec ad eos qui expressam specialem hypothecam sibi constitui curarunt. Nam illi quod iis debetur praecapiunt, hi ex hac solutionem petunt. Hypothecae generales supra memoratis legalibus exceptis, haud exstant (§. XIX.); quae sapiens atque in fauorem commercii piurimum valens dispositio, *accordium* facilius reddit, quandoquidem sic citius euenit,

*t)* art. 70.

*u)* art. 99.

*a)* Edictum contra Bancoruptores iam cit. §. 17.

euénit, vt māssa ad tantam excrescat summam, vt 50 pCt. ex lege ad illud necessarii, dari poslit. Ad *accordii* deliberationem edictali citatione creditores conuocantur, et absentes consentientibus annumerantur. Super crediti cuiuslibet liquiditate cum curatore litis summa-  
rie in sex hebdomadum spatio agere creditores debent, iis tamen li-  
cet, aliis probandi remediis deficientibus, crediti veritatem iureiu-  
rando affirmare. Commemorata haecce vero in iudicio perficiantur  
necessse est. Porro leges, nonnisi probo sed misero debitori *accor-  
dium* creditoribus offerre permittunt, minime vero improbo deco-  
ctori; de cuius praecepti ratione, iam supra (§. XX.) egi.

Quid in Electoratu Brandenburgico de *accordio* iuris sit, Ordinatio Processus Prussica P. 2. t. 26. Sect. 5. indicat. Creditoribus *accordium* proponere potest iudex praeuidens, fore, vt creditores hoc modo citius solutionem accipiant. Secundum §. 254 *Ordinat.* com-  
memoratam, "accordii conditiones creditorum prioritatis gradibus aptae esse debnt"; vnde apparet, non solum chirographarios, sed etiam hypothecarios creditores in *accordio* concurrere debere. Deputatio a iudicio constituta creditoribus ad citationem sese sistentibus *accordii* conditiones proponit. Tunc de ipsis quaelibet classis creditorum, qui secundum crediti professionem summarii probatam, locati sunt sine vlla prioritatis sententia, separatim deliberat; maiora vota in qualibet valent; *accordium* tamen haud fit, nisi omnes classes consensum dede-  
rint; si enim vna tantum dissenserit, nullo modo *accordium* proce-  
dit, nisi propositiones tales fuerint, vt *accordium* cum vna alteraue  
classe

classe ita iniri potuerit, ut cæterarum nulla, damno afficiatur b). Quodsi omnes accordium fieri volunt, iudex studere debet lites de liquiditate et prioritate exortas extrajudicitaliter componere, hoc si fieri nequit, judicialis sententia ferenda est c).

## CAP. VI.

### *De formalī concursus processu.*

#### §. XXIV.

##### *Generalia quaedam et speciatim de processu Hamburgenſi.*

Concursus, si per formalem processum ad finem perducitur, forum quoddam generale constitutum poscit, quod omnes alibi pendentes lites illius regionis deiudicandas ad se trahit. In hoc foro ereditores credita sua profitentur eoruinque prioritatem demonstrant. Curator litis et debitor ipse adhibentur, ut iis respondeant; et debitoris quidem praesertim est, documenta aut recognoscere, aut diffiteri. Quibus omnibus peractis sententia classificatoria fertur, quae ordinem indicat, quo singulo creditori soluendum sit. Quem modum si acnrate describere vellein, laborem susciperem non solum nimis longum, sed etiam superuacaneum. Modum enim juris communis, auctores iamiam exposuerunt praefantissimum a). Quod id attinet, quod iura particularia hac de re praecipiunt cuiuslibet tantum

K 2

patrias

b) *Process Ordin.* I. alleg. §. 273.

c) *ead. S. 280.*

a) *præ omnibus nomine Perill.* CLAPROTH *Summarische Process.*

patrias leges facere interest; nam exterus singularem agendi modum parum curat, dummodo breuissimam eandemque certissimam viam, qua solutione potiatur, cognitam habet. Attamen, ut et de his nonnulla afferam, processus huiusce momenta quaedam praecipua patriae meae, addere constitui, quo magis diuersus qui in concursu et in *accordio* obseruatur procedendi modus, appareat.

Quohsi ibi massa ita se habet, ut *accordium* nullo modo locum habere possit, quantumuis amicabilia curatorum studia ipsum perficere allaborent, curatorum est a Dn Consule, Praetoribusue mandatum arrestatorium petere, quo res ad iudicium inferius urbis mittatur. In hoc procurator quidam concursus constituitur b), qui reproducto mandato arrestatorio ad conuocandos creditores proclama publicum impetrat, quo creditores credita sua in iudicio profiteri iubentur. Termino indictio praeterlapsa, sententia praeclusiva fertur. Procurator iste, non solum igitur constitutus est, ut processus formalia curet, sed etiam ut contradictorii vicibus contra creditores nomina sua profitentes fungatur, simul quoque et actoris, qui actiuæ massæ exigat. Quilibet creditorum tradit libellum quo petit ut locus debitus in sententia classificatoria sibi assignetur, quem sibi ex iure competere deducit. Defendit thesin suam, si contradictor illi dubia facit, replicando, immo pro et reprobatio interdum necessariae sunt.

Creditores, quorum credita tantum exigua sunt quibus e. g. salarium aut mercedes debetur, qui ad primam classem referuntur

(§. XIX.)

b) *Fallit. Ord. art. 76.*

(§. XIX.), nomina sua apud iudicij actuarium profiteri possunt. Causa rite tractata a iudicio prioritatis sententia fertur; neque ea suspendenda, quamvis nonnulla credita nondum satis sint explorata, horum enim causa in sententia, qua et illis locus asignatur, additur clausula: „sin iura sua rata facere valebunt c).” Fallitor: Ordinatione praesertim cautum est, ut processus hic quam celerrime perficiatur brevissimoque temporis spatio absoluatur. Quam ob rem haec lex praecepit, e. g. Vt a sententia praeclusua vel nulla omnino, vel ex grauiſſimiſ tantummodo causis, appellatio concedatur d); Ne producta quatuor foliorum numerum inferent e); Vt ille, qui ad testes prouocat, simul articulos probatoriales atque testium nomina afferat; Vt interrogatio eorum in proxima audientia fiat f). A prioritatis sententia ad iudicium yrbis superius quidem appellare licet; imprimis tamen memorata *Ordinatio* monet, vltiorem appellacionem, ab hoc iudicio ad summa imperii tribunalia, ex priuilegio Caesaris de non appellando in causis mercantibus, sicuti alioquin nunquam, ita et maxime in concursibus haud esse admittendam g).

Ordo ereditorum in sententia prioritatis obseruandus iam supra (§. XIX.) expositus est.

Solutio in *accordio* ab ea, quae fit in concursus processu, eo maxime discrepat, quod creditoribus nunc secundum prioritatem plene soluatur. Creditores in primis classibus igitur plerumque

K 3

omnem

d) ibid. art. 83.

d) art. 82.

e) art. 86.

f) art. 67.

g) art. 96.

omnem ita exhauiunt massam, vt ceteris nihil restet; qui profecto  
 tristissimus est et infelicissimus euentus! — Cum vero vtrique *accordium*  
*commoda* (quod nempe modo enarratae ambages euitantur,  
 et imprimis modus iste tenetur, quo omnibus creditoribus secundum  
 statutam proportionem soluitur) ab omnibus applaudantur; raro eue-  
 nit vt et in tenuissima massa *accordium* non accipiatur. Quid quod,  
 vt viri talium rerum gnari mihi affirmarunt, ab anno inde 1753,  
 quo Noua Fallitor: Ordinatio condita est, ad hoc vsque tempus,  
 semel et in uno tantum accidit fallissemento, vt hic formalis concur-  
 sus processus locum haberet. Illi nempe creditores, qui nisi *accordium*  
 locum habet, probabiliter nihil accipiunt, maiorem fere semper efficiunt  
 numerum, et sic votis suis anteriorum hypothecariorum numerum  
 vincunt. Nam non solum chirographarii, sed et ipsi hypothecarii  
 seriores optant vt *accordium* fiat. Si enim massa adeo mala se  
 habet, vt nec tantum creditoribus solui possit, quantum accipere de-  
 bent vt *accordium necessarium* locum habere queat, facile intelligunt,  
 nominibus hypothecariorum priorum dissolutis, sibi nil omnino re-  
 ligium fore; quare hi chirographariis assentient, vt *accordio* locus  
 detur. Quae cum ita sint, verus, idemque formalis concursus pro-  
 cessus locum non habebit nisi e. c. tantum unus vel duorum hy-  
 pothecariorum, qui simul primam classem formant, tanta sint cre-  
 dita, vt omnes reliquos creditores suffragiis suis vincere possint.

# THESES.

---

## I.

*Quamvis non numeratae pecuniae exceptio praescripta sit, tamen alia iuris remedia ad intentionem actoris elidendam haud desunt.*

## II.

*Si debitum quoddam actione exigendum, praescriptum erit, compensatione adhuc uti licet.*

## III.

*Vsurpatio, cum quis a raptore quodam ex possessione deicitur, haud est talis, ut nunc totum praescriptionis tempus repetendum sit, sed illud tantum breve tempus, quo deictus erat.*

## IV.

*Certissimum infanticidia minuendi remedium erit, ut poenae constituantur severissimae.*

## V. Do-

*V.*

*Donationem revocari posse propter superiusenitiam prolis ex  
L. s. C. de reuocand. douat. contendo.*


*VI.*

*Fundamentum remediiorum prouocatoriorum, non in LL. diffa-  
mari et si contendat, latet, sed ex praxi originem ea ducunt.*

*VII.*

*Si eridarius ac possessio*s* fictus condemnatus est, rem, quam dolo  
malo possidere desit, soluere; massa ipsius obligationem totum soluendi  
hand detrectare potest, quoniam est rei vindicatio qualificata.*





Kg 4999. g<sup>16</sup>


f



56.

KD 17





72

DISSERTATIO INAVGVRALIS IVRIDICA  
DE  
**LEGIBVS**  
IN  
**FAVOREM COMMERCI LATIS**  
PRAESERTIM  
IN CONCVRSV CREDITORVM

---

Q V A M  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE  
PRO  
DOCTORALIBVS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS  
RITE OVTINENDIS.  
D. XVI. FEBR. MDCCXCII  
PVBLICE DEFENDET  
**THEODORVS HASCHE**  
HAMBVRGENSIS.

---

GOETTINGAE  
TYPIS BARMEIERIANIS.